

# WILLELMI MALMESBURIENSIS

## LIBER

### DE ANTIQUITATE GLASTONIENSIS ECCLESIE.

(Ex codice ms. collegii Trinitatis Cantabrig. edidit GALE, *Historiae Britannicæ, Saxonice Analo-Danicae Scriptores* XV. Oxonie 1691, fol.)

### WILLELMI PROLOGUS

Domino in Christi visceribus multum amplectendo et honorando HENRICO Lincolniensi episcopo, WILLELMI vestrae dignitatis filius, quidquid optari potest beatiss.

Si quidquam est quod in hac vita hominem teat, et inter adversa et turbines mundi requo animo manere persuadeat; id esse in primis reor meditationem sanctarum Scripturarum. Et quidem scripta gentilium hactenus utilitatem sui prætendunt, ut verborum splendore legentis et palpant ingenium, et timent eloquium. At vero librorum cœlitis inspiratorum longe fructus præponderat; quia et hic jucundæ dulcedinis pastum animo infundant, et alias æternæ beatitudinis emolumendum acquirunt. Multa porro, et ut mea fert opinio, innuincuntur sicut in Scripturis sanctis, quibus divina dignatio mentes mortaliū ad bonæ vite cultum informat, tum præcepta tum exempla. Illis qualiter vivendum sit, instruinunt, istis innuitur quam sint, Deo juvante, factu facilia quæ jubentur. Natura sane hunc quibusdam ingeneravit animam, ut quanvis ultraque scient necessaria, magis tamen exemplorum quam adhortationum eos prolectet auditus. Et alienigenarum quidem gestis præ sanctitatis assurgunt reverentia, sed alacriori capiuntur dulcedine, si aliquis sancti, qui compatriota fuerit, vita perducatur in medium, in qua sicut e speculo conspicuum, ut ita dicam, sit vivum religionis simulacrum. Accedit enim jucundæ relationi propinquitas, ne aliquis desperet a se per Dei gratiam fieri posse, quod audit ab alio de proximo factum suisse. Unde sicut axiomo non contempnande stylum dedi operæ, qui beati Dunstani, prius Glastoniensis abbatis, denum archiepiscopi Cantuariensis, vitam labore meo æternæ mandavi memoriae, duosque libros de hoc, volentibus Glastoniæ fratribus filiis vestris, dominis et sociis meis, dudum integra rerum veritate absolvii. Verumtamen ne quid sedulitatis meæ desit officio, ejusdem ecclesiæ vestrae rudimentum et processum in hujus

A libri auspicio repetens ab origine pandam. Nec hic multum a proposito alienum pntari debet, cum honor Ecclesie in Dunstanum, et laus Dunstanus ad Ecclesiam redudent. Nam et illa Dunstanum materno gremio in virum consovit, et ipse matri plurimum splendoris adjecit. Quapropter in spem nonnihil animus meus accrescit hoc scriptum fortasse sanctum procurasse, ut alumni occasione digeratur dignitas nutriculae. Illos ego libellos, sed et Vitam beati Patricii, miracula venerabilis Benigni, passionem martyris Indracti, qui simili cura procuderam, jam pridem in eorum permissi versari manibus, ut si quid citra rationem dictum esset, corrigeretur pro tempore. Illi vero propensiiori consilio diu scripta trutinantes, omni me liberaverunt culparum nævo, nihil contulit religionis aut dantes offensæ, aut deferentes gratia. Hoc igitur qualemque opusculum vestrae devoveo examinandum prudentiæ, domine venerabilis; et merito amabilis Pater. Facti mei ratio in promptu, ut noscat excellētia vestra, qui et quanti viri fundaverunt et provexerunt ecclesiam, quæ vestrae potissimum sub Deo et sanctis ejus modo tutelæ initituitur. Scitis etiam vos priscorum herorum imitatum, et, pene dico, supergressum facta, priusquam audissetis vocabula. Nam ut cum obrectare, si quis forte fuerit, audaciū conferam pedem, in quo prisci possessores vobis possunt præferri? In ampliandis patrimonii? At vos et dudum eliminata reducitis, et habita industria solerti cumulatis. In exstruendis ædificiis? Atqui quantum in ea re omnibus prædecessoribus emineatis, melius monstrabit mirantis digitus, quam laudantis titulus. In pace incolarum tuenda? Sed vos, nominis vestri umbone, omnes prædones dejicitis; vultus splendore nebulas modestiæ propulsatis, sermonis prudentia columnas litigitorum enodatis. In religione monachorum? Quæ cum semper ita Deo propitio vestris temporibus floret, ut infelix livor aliiquid sinistrum de ipsa crubescat consingere. Accedit publicus amor ipso-

rum pectori vestro, qui nullo eus exterretis rho-  
cho, sed venientes jucunde admittitis, affabiliiter  
trahatis, abeuntibus paterno valefacitis. Nec enim  
profecto de nobis dicitur, quod de quibusdam po-  
tentibus a poeta usurpatum non inmerito can-  
tatur.

... Late sibi submoveat omne  
Vulgus e: in vacuis regnat basiliscus arenis.  
(LUCAN. Pharsal. ix, 725.)

A Est igitur infra meritum vestrum omnis eloquentia.  
Laudes vestre ita excellent, ut nihil supra. Quae  
cum ita sint, accipite, queso, devotionis meae munus,  
sedulitatis pignus, et agite ne fructu laboris excidam.  
Adestote igitur, si omnino placet, et attendite dum per  
successionum seriem antiquitatem Ecclesie tentabo  
suspicionibus eruire, quantum ex strue monumento-  
rum vestrorum potui corrardere.

## DE ANTIQUITATE GLASTONIENSIS ECCLESIAE.

*Incipit quomodo duodecim discipuli sanctorum Phi-  
lippi et Jacobi apostolorum primo ecclesiam Gla-  
stonensem fundaverunt.*

Post Dominice resurrectionis gloriam, ascensio-  
nisque triumphum, ac Spiritus Paracleti de supernis  
missionem, qui discipulorum corda temporalis pone  
adhuc formidine trepidantia replevit, scientiam  
omnium linguarum tribuendo: Erant omnes credentes  
simil cum mulieribus et Maria mater Iesu, ut Lucas  
narrat evangelista, et verbum Dei disseminabatur,  
crescebatque numerus credentium quotidie, eratque  
omnibus eor unum et anima una.

Invidiz ergo fasibus accensi sacerdotes Judeorum  
cum Pharisæis et Scribis concitaverunt persecutio-  
nem in Ecclesia, interficiendo protomartyrem Ste-  
phanum, et sere a finibus suis omnes procul pel-  
lentes. Itac igitur persecutionis procella sæviente,  
caspersi credentes perierunt diversa regna terrarum  
a Domino sibi delegata verbum salutis gentibus  
propinando. Sanctus autem Philippus, ut testatur  
Frecculus, libro II, capitulo 4; regionem Fran-  
corum adiens gratia prædicandi, plures ad fidem  
convertit ac baptizavit: volens igitur verbum Christi  
dilatar, duodecim ex suis discipulis elegit, ad præ-  
dicandum incarnationem Iesu Christi, et super singu-  
los manum dextram devotissime extendit, et ad  
evangelizandum verbum vite suis in Britanniam:  
quibus ut ferunt, charissimum amicum suum Joseph  
ab Arimathea, qui et Dominum sepelivit, præfecit.  
Venientes igitur in Britanniam anno ab Incarnatione  
Domini LXIII, ab assumptione beate Marie xv,  
fidei Christi fiducialiter prædicabant. Rex autem  
barbarus cum sua gente tam nova audiens et inconsueta,  
omnino prædicationi eorum consentire renue-  
bat, nec paternas traditiones commutare volebat:  
quia tamen de longe venerant, vitæque eorum exi-  
gebat modestia, quamdam insulam ad petitionem  
eorum, silvis, rubis atque paludibus circumdataam,  
ab incolis Yniswitrus nuncupatam in lateribus sue  
regionis, ad habitandum concessit; postea et alii  
duo reges, licet pagani successive, comperta eorum  
vitæ sanctimonia, unicuique eorum unam portionem  
terræ concesserunt ac ad petitionem ipsorum secun-  
dum morem confirmaverunt. Unde et XII hæc per-

B eos adhuc, ut creditur, nomen sortiuntur. Prædicti  
itaque sancti in eodem deserto conversantes, post  
pusillum temporis visione archangeli Gabrielis ad-  
moniti sunt ecclesiam in honorem sancte Dei ge-  
nitricis et Virginis Mariæ in loco ecclæs eis demon-  
strato construere. Qui divinis præceptis non segniter  
obedientes, secundum quod eis fuerat ostensus,  
quamdam capellam, inferius per circuitum virginis  
torquis muros perficientes, consummaverunt, anno  
post passionem Domini xxxi, post assumptionem  
gloriosæ Virginis xv, ex deformi quidem schemat, sed  
Dei multipliciter adornatam virtute. Et cum  
hæc in hac regione prima fuerit, ampliori eam di-  
gnitate Dei Filius insignivit, ipsam videlicet in ho-  
norem sua matris dedicando. Duodecim igitur san-  
cti saepius memorati, in eodem loco Deo et beatæ  
Virgini devota exhibentes obsequia, vigilis, jejuniis  
et orationibus vacantes, ejusdem Virginis auxilio ac  
visione, ut credi pium est, in omnibus necessitatibus  
refocillabantur. Hoc autem ita se habere tam ex  
charta Beati Patricii, tam ex scriptis seniorum co-  
gnoscimus. Quorum unus Britonum historiographus,  
prout apud Sanctum Edmundum, itemque apud  
Sanctum Augustinum Anglorum apostolum vidimos,  
ita exorsus est: « In confinio occidentalis Britannæ  
quædam regalis insula antiquo vocabulo Glastonia  
nuncupata, hæc locorum dimensa finibus, piscois  
aquis stagnisque circumdata fluminibus, et plurimis  
humanae indigentiae aptam usibus, atque sacris, quod  
maximum est, dedicatam muneribus. » Ia ea siquidem  
Anglorum primi catholicæ legis neophytiæ antiquam Deo  
dictante, repererunt ecclesiam, nulla hominum manu  
corte, ut ferunt, constructam, inio humanae salutis a  
Deo paralam, quam postmodum ipse celorum fabri-  
cator multis miraculorum gestis multisque virtutibus  
mysteriis sibi sanctæque Dei genitrici Mariæ se  
concessasse demonstravit. » Sed de his postea, nunc  
ad iaceptum redeamus. Sancti igitur memorati in  
eodem cremo sic degentes, effluentibus multis anno-  
rum curriculis, carnis ergastulo sunt educti. Itemque  
locus cepit esse ferarum latibulum, qui prius fuerat  
habitatio sanctorum, donec placuit, beatæ Virginis  
suum oratorium redire ad memoriam fidelium, quod  
quomodo evenerit iam prosequamur.

*Quomodo sancti Phaganus, et Deruvianus Britan-*  
*nos ad fidem converterunt et in insulam Avallonie-*  
*venerunt.*

Tradunt bonæ credulitatis annales, quod socius rex Britannorum ad Eleutherium xiiii loco post beatum Petrum papam miserit, orans ut Britannæ tenebras luce Christianæ prædicationis illustraret; mactus animi rex, magnæ prorsus laudis factum adorsus, ut fidem, quam tunc temporis pene omnes reges et populi persequerentur exhibet, ipse ultro appeleret vix auditam. De qua re ut aliquid exstrinsecus dicam, in ejusdem meriti laudem concurret Ethelbertus, multis annis post socium rex Cantiae, qui prædicatores ad se de Roma missos non turbido abegit responso, sed benigno exceptit hospitio. Accessit benignitati solers verborum festivitas, quia etsi nollet verbis eorum proprium assensum apponere, tamen quia de longe venerant, ut quæ optima credebat ci communicarent, absurdum videri posset, si eis quidquam inferret molestia. Sunt ergo hi viri amplissima recordatione digni, quorum alter Christianitatem prudenter invitavit, alter libenter exceptit. Venerunt ergo Eletherio mittente prædicatores Britanniam duo viri sanctissimi, Phaganus videlicet atque Deruvianus, prout charta Sancti Patricii gestaque Britannorum testantur. Hic igitur verbum vitæ evangelizantes, regem cum suo populo sacro fonte abluerunt anno Domini 466. Ille prædicando et baptizando Britannæ partes peragrantes in insulam Avallonæ, more Moysi legislatoris interiora deserti penetrantes, sunt ingressi, ubi antiquam, Deo dictante, repererunt ecclesiam, manibus discipulorum Christi, ut ferunt, constructam, et humanas salutis a Deo paratae; quam postmodum ipse cœlorum fabricator multis miraculorum gestis, multisque virtutum mysteriis sibi sanctæque Dei genitrici Mariæ se consecrassæ demonstrabit; fluxerunt autem ab adventu discipulorum sancti Philosophi in Britanniam usque ad adventum sanctorum memoratorum cuius anni. Igitur prædicti sancti Phaganus et Deruvianus, oratorio illo sic reperio inestabili sunt refecti gaudio. Ibidem in Dei laudibus moram protraientes diuturnam, per novem videlicet annos, locum etiam diligenter perscrutantes, figuram nostræ redemptionis aliaque signa manifesta repererunt quibus bene cognoverunt quod Christiani prius locum inhabitaverant, postea cœlesti pendentes oraculo, quod Dominus ipsum locum præceteris Britannæ specialiter elegerit, ad nomen gloriose Genitricis suæ ibidem invocandum. Oinnen etiam narrationem in antiquis scriptis invenerunt, qualiter sanctis apostolis per universum orbem dispersis, sanctus Philippus apostolus cum multitudine discipulorum in Franciam veniens, duodecim ex ipsis Britanniam misit ad prædicandum. Qui prædictam capellam angelica docti revelatione construerunt, quam postmodum Filius Altissimi in honorem suæ matris dedicavit; ipsisque xii tres reges, licet pagani, xii portiones terræ dederunt ad

A eorum sustentationem, insuper gesta eorum scripta invenerunt; ideoque locum ipsum præ cæteris dilixerunt, qui etiam in memoriam primorum xii, ex suis xii elegerunt, et in præfata insula, rege Lucio consentiente, habitare fecerunt.

Qui postea in diversis locis, sicut anachoretæ manserunt ibidem, in eisdem videlicet locis, in quibus primi xii primitus habitaverunt. In vetustam tamen ecclesiam, ad divina obsequia devotius complenda, crebro convenerunt quotidie, et sicut tres reges pagani dictam insulam cum adjacentiis suis, xii primis Christi discipulis dudum concesserant, ita prædicti Phaganus et Deruvianus istis xii sociis et aliis in posterum sacerularis, ab eodem rege Lucio liberam eamdem confirmari impetrabant, sic autem multi aliis succedentes, semper tamen in numero duodenario, per multa annorum curricula, usque ad adventum sancti Patricii Hiberniensium apostoli, in memorata insula permanserunt. Huic etiam ecclesiæ sic repertæ aliud addiderunt sancti neophytæ opere lapideo oratorium, quod Christo sanctisque apostolis Petro et Paulo dedicaverunt. Horum ergo restaurata fuit opera vetusta Sanctæ Mariæ in Glastonia ecclesiæ, sicut fidelis per succidua saecula non tacuit antiquitas. Sunt et illæ non exiguae fidei litteræ apud Sanctum Elmundum repertæ, quod banc sanctissimam ecclesiam Glastoniæ non fecerunt aliorum hominum manus, sed ipsi discipuli Christi eam ædificaverunt, mittente scilicet sancto C Philippo apostolo, ut præmissum est; nec abhorret a vero, ut præmissum est, quia si l'philippus apostolus Gallis prædicavit, sicut Freculfus libro II, cap. 4, dicit, potest credi quod etiam trans oceanum sermonis semina jecit.

*Quomodo monachus quidam de Sancto Dionysio de Glastonia referebat.*

Ad comprobandam antiquitatem ecclesiæ, de qua præfati sumus, paululum digrediamur. Monachus quidam Glastoniæ, Godefridus nomine, de cuius epistola et hoc et quod subjungemus capitulum assumptius, tempore hoc Blesensis abbatis Glastoniæ, cum in pago Parisiacensi apud Sanctum Dionysium moraretur, senior quidam ex monachis interrogavit eum: « Quo genus unde domo? » Respondit, Normannus, Britannæ monasterii, quod Glastingeta dicitur, monachus: « Papæ, inquit, an adhuc stat illa perpetua Virginis et misericordiae matris vetusta ecclesia? — Stat, » inquit. Tum ille lepido attacatu caput Godefridi Glastoniensis demulcens, diu silentio suspensum tenuit, ac sic demum ora resolvit: « Hæc gloriosissimi sui martyris ecclesiæ, et illa de qua te asseris, eamdem privilegi dignitatem habent, ista in Gallia, illa in Britannia, uno eodem tempore exortæ, a summo et magno pontifice consecratae; uno tamen gradu illa supereminet, Roma etenim secunda vocatur. » Cumque ab ore viri penderet, ille cui provincia suscipiendorum fratrum erat commissa, invitox ab invicem non revisuros separavit, sed hic hactenus.

*Quomodo multitudo popularis primitus Glastoniam A captis. Ibique anno Domini 512 de medio factus, in vetusta ecclesia ante altare est sepultus.*

Descriptis fundatione, dedicatione, ac postea inventione hujus oratorii, restat apponere qualiter haec insula a multitudine fuit inhabitata. Legitur in antiquis Britonum gestis, quod a boreali Britanniae parte venerunt in Occidentem duodecim fratres, et tenuerunt plurimas regiones, Venedociam, Demetiam, Buthir, Kedweli, quas proavus eorum Cuneda tenuerat: nomina eorum fratum inferius adnotantur, Ludnerth, Morgen, Catgur, Cathmor, Merguid, Morvined, Morehel, Morecant, Boten, Morgen, Mortineil, Glasteing. Hic est ille Glasteing, qui per mediterraneos Anglos, secus villam que dicitur Escebiorne, scrofam suam usque ad Wellis, et a Wellis per inviam et aquosam viam, quae Sugewege, id est scrofa via, dicitur, sequens porcellos suos, juxta ecclesiam de qua nobis sermo est, lactentem sub malo invenit, unde usque ad nos euanavit, quod mala mali illius Ealdeyrcenes epple, id est veteris ecclesiae poma vocantur: sus quoque caldeyre suge idcirco nominabatur; que cum cæteræ sues quatuor peles habeant, mirum dictu, ista habuit octo. Hic igitur Glasteing, postquam insulam illam ingressus, eam multimodis bonis vidit affluentem, cum omni familia sua in ea venit habitare, eversumque vita sua ibidem peregit. Ex ejus progenie et familla ei succidente locus ille primus dicitur populatus, haec de antiquis Britonum libris sunt.

#### *De diversis nominibus ejusdem insulae.*

Haec itaque insula primo Yniswgrin a Britonibus dicta, demum ab Anglis terram sibi subjugantibus, interpretato priore vocabulo, dicta est sua lingua Glastenburg, vel de Glasteing, de quo præmisimus; etiam insula Avallonia celebriter nominatur, cuius vocabuli haec fuit origo. Supra dictum est quod Glasteing scrofam suam sub arbore pomifera juxta vetustam ecclesiam invenit, ubi quia primum adveniens poma in partibus illis rarissima reperit, insulam Avalloniæ sua lingua, id est insulam pomorum nominavit; avalla enim Britonice poma interpretatur Latine, vel cognominatur de quodam Avallac, qui ibidem cum suis aliis, propter loci secretum, fertur inhabitasse.

#### *Quanta devotione diversi sancti illuc advenerint.*

Ecclesia de qua sane loquimur, quæ pro antiquitate sui celebriter ab Anglis vetusta dicitur, primo vergea, nescio quid divinæ sanctitatis sum inde a principio redoluit spiravitque in omnem patriam, quamvis ex deformi grandis reverentia cultu, hinc confluentium illuc populorum totis calibus unda, hinc opulentorum deposita pompa conventus, hinc religiosorum et litteratorum frequens perendinatio.

#### *De sancto Gilda.*

Nam, sicut a majoribus accepimus, Gildas neque insulsus neque infæetus historicus, cui Britanni debent, si quid notitiae inter ceteras gentes habent, multum annorum ibi exegit loci sanctitudine

#### *De sancto Patricio.*

Quo fere tempore, antea tamen, Anglis Britonum infestantibus pacem, et Pelagianis eorum expugnantibus fidem, sanctus Germanus Antiochenensis, ut alibi legitur, contra nitrosque suppetias tulit. Illos vero alleluia et cantu fudit, et istos evangelicis et apostolicis tonitribus fulminavit. Inde in patrum meditatus re-litum Patricium ad familiare contubernium ascivit, eundemque post aliquot annos Hyberniensibus jubente Cœlestino papa prædicatorem misit. Ille munus injunctum gnariles exscentus extremis diebus Britanniam remans, priorem celsitudinem salutationesque foro responsum, super altare suum Cornubiam appnuit, quod usque hodie apud incolas magnæ venerationi, tum propter sanctitudinem et utilitatem, tum propter infirmorum salutem. Inde Glastoniam veniens illi fratres anchoretice viventes ibidem reperiens congregavit, abbatisque suscipiens officium, eosdem agere docuit vitam cœnobialem, sicut sequens scriptum, quod idem tempore suo conscripsit, manifestus declarat.

#### *Charta sancti Patricii episcopi.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi, ego Patricius humilis servusculus Dei, anno incarnationis ejusdem 430, in Hiberniam a sanctissimo papa Cœlestino legatus, Dei gratia Hibernicos ad viam veritatis converti, et cum eos in fide catholica solidassem, tandem in Britanniam sum reversus, ac ut credo, duce Deo, qui vita et via, incidi in insulam Yniswgrin, in qua inveni locum sanctum ac vetustum, a Deo electum et sanctificatum in honore intemeratae virginis Dei genitricis Marie. Ibique quosdam fratres rudimentis catholicæ fidei imbutos, et piæ conversationis, qui successerunt discipulis sanctorum Phagani et Deruviani, quorum nomina pro vita meritis, veraciter credo scripta in celis, et quia in memoria æterna erunt justi, cum eosdem fratres tenere dilexissem, corum nomina scripto meo redigere volui. Quæ sunt Brumbam, Hyregaam, Brenwal, Wenerth, Bantcomineweng, Adelward, Loyor, Wellias, Breden, D Swelwes, Hlinloernius, et alius Hin. Hi cum essent nobilibus orti natalibus nobilitatem suam fidei operibus ornare cupientes, eremiticam vitam ducere elegerunt, et quoniam inveni eos humiles et quietos, elegi potius cum illis abjectus esse, magis quam in regalibus curiis habitare. Sed quia omnium nostrum erat cor unum et anima una, elegimus simul habitare, comedere et bibere, pariter, et in eadem domo dormire; sique me licet invitum sibi praetulerent, non enim dignus eram solvere corrigias calceamentorum eorum. Et cum vitam monasticam ita duceremus, juxta normam probabilium Patrum, ostenderunt mihi prefati fratres scripta sanctorum Phagani et Deruviani, in quibus continebatur quod xii discipuli sanctorum Philippi et Jacobi ipsam veter-

statim ecclesiam construxerunt in honore prelibatae advocatricis nostrae, per doctrinamentum beati archangeli Gabrielis insuper et quod Dominus eamdem ecclesiam cœlitus in honore suæ matris dedicaverat, et quod tres reges pagani ipsis XII, ad corum sostenementum, XII portiones terræ dederint, nec non et in scriptis recentioribus inveni, quod sancti Phaganus et Deruvianus perquisiti erant ab Eleutherio papa qui eos miserat decem annos indulgentiæ. Et ego frater Patricius a piæ memorie Cœlestino papa duodecim annos tempore meo acquisivi, Post multum vero temporis, assumptio mecum Wellia confratre meo, per condensitatem silvæ cum magna difficultate descendimus acumen montis, qui eminet in eadem insula. Quo cum pervenissimus, operuit oratorium unum vetustum et sere dirutum, habile tamen devotioni Christianæ, et, prout mihi videbatur, a Deo electum. Quod cum ingressi essemus, tanta odoris suavitate replebamur, ut in paradiſi amoenitate positos nos crederemus. Egressientes igitur et reingredientes, locumque diligentius perscrutantes, invenimus volumen unum, in quo scripti Actus erant apostolorum, pariter cum actis et gestis sanctorum Phagani et Deruviani, ex magna parte consumptum, in cuius tamen fine voluminis invenimus scripturam, qua dicebat quod predicti sancti Phaganus et Deruvianus, per revelationem Domini nostri Jesu Christi, idem oratorium ædificarunt in honore sancti Michaelis archangeli, quatenus ibi ab hominibus haberet honorem, qui homines in perpetuos honores, jubente Deo, est in tractetur. At cum delectaret nos illa scriptura, n'lebamur eam ad finem legere. Dicebat enim eadem scriptura, quod venerandi Phaganus et Deruvianus moram ibi fecerunt per nove annos, et quod ipsi etiam perquisierant triginta annorum indulgentiam omnibus Christicolis locum ipsum ob honorem beati Michaelis pia voluntate visitantibus. Invento ergo tanto divinae bonitatis thesauro, ego et frater Wellias tribus mensibus jejunavimus, orationibus vacantes et vigiliis, dæmonibusque et belluis multiformiter apparentibus imperantes. Quadam autem nocte cum me sapori dedisset, apparuit mihi Dominus Jesus in visu, dicens : « Patrici serve meus, scias me elegisse locum istum ad honorem nominis mei, et ut hic honoranter invocent adjutorium archangeli mei Michaelis ; et hoc tibi signum et fratribus tuis, quatenus ut ipsi credant, brachium tuum sinistrum arescat, donec quæ vidisti annuntiaveris fratribus tuis, qui in cella sunt inferiori, et denuo hic redieris. » Et factum est ita. Ab illo die statuimus duos fratres in perpetuum ibi, nisi pastores futuri ob justam causam aliter decreverint. Arnulfo autem et Ogmars Hibernicis fratribus, qui mecum venerant de Hibernia, pro eo quod ad exhortationem meam apud dictum humiliiter oratorium manere cœperunt, præsentem paginam commisi, aliam similem in arca sanctæ Mariæ retinens in monumentum posteris. Et ego Patricius, per con-

A silium fratrum meorum, omnibus qui silvam ex omni parte præfati montis in securi et ascia pia intentione dejecerint, ut facilior paretur aditus Christianis, ecclesiam beatæ perpetuæque Virginis pia visitaturis, et oratorium prædictum, centum dies venie condeo. »

Hac autem ita veraciter se habere, testimonio scripturarum vetustissimæ similis, cum relationibus seniorum comprobavimus. Ille itaque sanctus supra memoratus, qui et Hibernium apostolus, et in insula Avallonia abbas primus, postquam prædictos fratres regularibus disciplinis convenienter informaverat, et eundem locum terris, possessionibus, de dono regum ac aliorum principum competenter ditaverat, post aliquos annos decursos naturæ cessit, B et sepulturam angelo demonstrante, flammaque ingenti de eodem loco, cunctis videntibus qui aderant, erumpente, in vetusta ecclesia a dextra altaris promeruit.

#### *De excessu sancti Patricii.*

Excessit ergo Patricius anno ætatis sue cxi, incarnationis vero Domini 472, qui fuit annus ex quo in Hiberniam missus est XLVII. Siquidem anno Domini 361 in lucem venit, et anno Domini 425 a Cœlestino papa in Hiberniam missus fuit, hic fuit annus ætatis sue 64, et anno Domini 433, Hibernicos ad fidem Christi convertit. Demum Britanniam reversus, in optimâ conversatione XXXIX annos in insula Avallonia permansit; requievit autem in vetusta ecclesia, a dextro latere altaris, per multorum annorum curricula, videlicet 700 et decem annos, usque ad combustionem ejusdem ecclesiae. Corpus vero suum in pyramide saxea fuit collocatum juxta altare, versus austrum, quam pro veneratione ejusdem sancti, auro et argento postea nobiliter vestivit domesticorum diligentia.

#### *Visio de sancto Patricio.*

Cum autem longe post obitum beati Patricii frequens questio esset, ultrum ibi monachus et abbas fuerit, omnem scrupulum absolvit visio cujusdam fratris, qui post obitum beati viri, nutante memoria utrum ibi monachus et abbas fuerit, cum de hoc frequens verteretur questio, tali confirmatus est oraculo. Resolutus vero in soporem, visus est audire quedam legentem post multa ejus miracula hæc verba : « Hic igitur metropolitani palli decoratus est sanctitate. Postmodum vero hic monachus et abbas factus est. » Adjecit etiam, ut non in egre credenti, litteris aureis quod dixerat scriptum ostenderet.

#### *De sancto Indracto et de sancta Brigida.*

Hinc Hibernisibus mos inolitus, ad exosculandas patroni reliquias locum frequentare. Unde et sanctum Indractum et beatam Brigidam, illius terræ non obscuros incolas, illuc olim commissasse celeberrimus sermo est. Brigidam quidem, quæ anno Domini 488 illuc venerat, post aliquantulum moram, quam in insula quæ dicitur Beakery fecerat, deinde reversum, relictis ibidem quibus-

dam insigniis suis, videlicet pera, monili, nola, et textilibus armis, quæ ibidem ad ejus memoriam reservantur; Indractum vero cum sociis ibidem martyrizatum, et sepultum, sicut alias stylus noster non lacuit. Postea per Ynam regem de loco martyrii in Glastoniensem translatum ecclesiam.

*De sancto Benigno.*

Anno Domini 460, sanctus Benignus venit Glastoniæ. Ille discipulus sancti Patricii, et successor in episcopatu ejus tertius in Hibernia fuit, quem admodum eorum gesta testantur. Ille igitur, angelo monente, patriam pontificique dignitatem ex voto deserens, voluntaria peregrinatione suscepit, Glastoniæ Deo duce pervenit, ubi et sanctum Patri-  
cium invenit. Quanta autem apud Deum gratiae fuere, multis patet virtutum indiciis. Illoc etiam testantur ejus insignia apud Fernigemere, data ejus precibus aqua largissima, et ex ejus baculo arido ingens arbor wreus et frondifera. Ille itaque post immenses yones in dicta insula beato fine quievit, ac post multorum curricula annorum, id est anno Domini nongentesimo primo, Glastoniæ honorifice translatus est.

*De sancto Columkilla.*

Anno Domini 504 sanctus Columkilla venit Glastoniæ. Quidam affirmant hunc sanctum vitæ suæ cursum ibidem consummasse, sed utrum sic, aut inde repatriaverit, non diffinio.

*De sancto David archiepiscopo.*

Jam vero quanti cum locum panderit magnus ille David Menevensium archiepiscopus, celebrius est quam ut nostro indigeat illustrari relatu. Is antiquitatem et sanctitudinem ecclesie divino comprobavit oraculo. Dedicationi enim ejus intendens cum episcopis septem, quorum primus erat, ad locum venit; paratis autem omnibus quæ officii usus exposceret, nocte præcessura, ut putabat, festivitatem somnio induxit: omnes ergo sensus in quietem solitus vidit Dominum Jesum assistere, causam adventus blande sciscitantem. Quam cum ille incunctatus aperuisset, revocavit eum a sententia Dominus hoc dicto: Dedicataam a se dudum Ecclesiam in honore suæ matris, iteratione humana sacramentum lemnari non oportere, simulque eum dicto volam digito terebrare visus haec subjicit: hoc haberet signum, repeti non debere quod ipse anticipasset facere. Sed quia intentionis illius non tam fuerit audacia quam devotio, pœnam non prolongandam. Denique mane futuro, cum in missa per ipsum et cum ipso et in ipso dicturus esset, plenum ei salutis vigorem refundendum. His terroribus antistes somno excussus, sicut tunc sanie ulcerosa impalluit; sic postea philosophia veritati applausit, sed ne nihil videretur egisse, aliam ecclesiam citato fecit et dedicavit opere.

*De reliquiis sancti David.*

Excessit autem hic sanctus Deo dignus anno Domini 546. Quidam sane affirman, reliquias de hoc sancto et incomparabili viro cum beato Patri-

cio, in vetusta ecclesia fuisse collocatas. et Walenses orationum frequentatione, et multiplici sermone, id procul dubio astraunt et corroborant, illud in medium proferentes, Bernardum episcopum Rosinae vallis, ibidem semel et secundo reliquias Pergei sancti quæsisse, et multis reclamantibus non invenisse. Sed qualiter de Rosina valle usque ad Glastoniam dictæ reliquiae translatae fuerint subjungemus. Quædam matrona nomine Alswitha, tempore Edgari regis, predictas reliquias acquisivit per quendam cognatum summum, qui tunc temporis fuit episcopus apud Rosinam vallem, quando tota terra homo illa ita vastata erat, ut vix aliquis homo illic inventaretur, nisi paucæ feminæ, et etiam in raris locis, et eas Glastonie contulit.

*De reliquiis a Gallia Glastoniæ translatis.*

Testes sunt Walenses religiosi terre illius, qui ea tempestate plurima corpora sanctorum, et reliquias, Romam ituri secum Glastoniam detulerunt, et itinerando profligantes dimiserunt ibidem. Facta est hæc translatio anno post mortem ejusdem 420, Incarnationis Dominicæ 966.

*De sanctitate et dignitate Glastoniensis Ecclesie.*

Est ergo Glastoniensis ecclesia omnium, quæ quidem noverim, antiquissima in Anglia. Inde quia cognomen sortita, in ea, preter beatum Patricium, et alios, de quibus superius dixi, multorum sanctorum corporales servantur exuviae, nec a beatorum cineribus vacat ullus sani ambitus, adeo pavimentum lapide constratum, adeo altaris latera, ipsiusque altare supra et infra, reliquiis confertissimis aggeruntur. Merito ergo dicitur celeste in terris sanctuarium, tot sanctorum reconditorium. Quam felices, Deus bone, habitatores, quos ipsa loci reverentia ad morum compositionem invitat, nullum de his crediderim deperire cælo, quos corporibus egressos tantorum patronorum exicit laus vel excusatio. Ubi autem notare licet in pavimento, vel per triangulum, vel per quadratum, lapides altrinsecus ex industria positos, ex plumbō sigillatos, sub quibus quidam arcani sacri contineri, si credo, injuriam religioni non facio. Antiquitas et sanctorum congeries excivit reverentiam loco, et vix ibi quis noctu præsumat excubias agere, vix interdiu excrescens illegma projicere, illusorice fœditatis conscius, toto cohoreat corpore, nullus inter contiguum cœmpterium, vel aveni venatoriali advexit, vel quadrupedes induxit, qui sui vel rei possessæ indemnis abierit; ferro vel aqua examinandi, si orationem ibi deposuerint, omnes, quos præsens memoria complectitur, quo excepto, de salute suo tripudiarunt. Si quis e vicino aliquid ædificium locandum putasset, quod obumbratione sua lucem inviderer ecclesie, patuit ruine, satis que constat hominem illius provinciæ nullum sanctius vel crebrius juramentum habere, quam per veterem ecclesiam, nihil magis vitantes metu celebris vindictæ quam perjurare. Labantem veritatem

dictorum, quæ proposuimus, plurimorum veracis-simorum hominum pro successu annorum fulciunt testimonia.

*De sancto Paulino episcopo.*

Sed ut ad propositum redeam, sancti Patricii nativitas, quæ anno Dominicæ Incarnationis 561 fuit, adventum beati Augustini in Britanniam ducentis trigesima sex annis præcessit. Cujus prædicationis commilitonem Paulinum, ex archiepiscopo Eboracensi Roseensem episcopum, asserit patrum traditio, ecclesiæ contextum dudum, ut diximus, virgeo, ligneo tabulatu induisse, et plumbu a summo usque deorsum cooperuisse. Egit nimurum prædabilis viri solertia, ut nihil decederet sanctitati, et plurimum accederet ornatui. Et certe solet ecclesiastarum cultus augustior quaslibet brutas mentes ad orandum illucere, quamlibet cervicositatem ad supplicandum inflectere.

*De translatione Indracti ac sociorum ejus.*

Aliquantis autem annis elapsis, per Ynam regem Westsaxorum divinæ visionis compotem, martyris Indracti et sociorum ejus corpora de loco martyrii translata, et in eadem ecclesia tumulata sunt. Ipsius quidem in lapidea pyramide ad sinistrum altaris, cæterorum in pavimento, prout vel casus tulit, vel industria locavit.

*De reliquiis a terra Northanimbrorum usque Glastoniam translatiis.*

Item multo post tempore, infestantibus Danis Northanimbriam, Tica earum partium abbas, sub obtentu pacis a borea in occidentem commigrans, Glastoniæ concessit, eamdeinde ecclesiam abbatis jure anno Dominicæ Incarnationis 754 rexit. Multis vero annis aquilonaris regio piratarum patuit præda, cum interim aliæ partes Angliae nihil suspicarent hostile. Attulit sane secum locupletè siccoulatus sui obsides, reliquias scilicet Aidani Lindisfarnensis episcopi, corpora sanctorum Ceolfridi, Benedicti, Estrepini, Hethberti, Selfridi Wioren-sium abbatum, Bedæ presbyteri, Hebbæ, Begæ, Borsili; item corpus Hildæ, abbatissæ monasterii quod quondam Streneshealh, nunc Witeby nuncupatur. Haec igitur supra altare locatæ reliquiae non parum reverentia loco adiecere. Idem porro Tica, cum valefecisset vitæ, in dextero angulo majoris ecclesiæ, juxta introitum velustæ, notabilem accepit sepulturam. Ea est et mole structuræ et arte cælaturæ non ignobilis.

*De diversis reliquiis Glastoniæ repositis.*

Et quoniam Glastonia insula multorum insignitur sanctorum cineribus, præter supra enumera los, libet paucorum ex multis adnotare nomina, quorum corporales exuvias pro majori parte ibidem requiescere non dubitamus. Nam particulares reliquias sanctorum illuc a regibus et magnatibus collatas enumerare, in immensum esset volumen extendere, et in textis Evangeliorum adnotantur. Pretermisis igitur supramemoratis, videlicet xii discipulis sancti Philippi, Phaganio et Deruviano,

A et eorum multis discipulis Patricio, Indracto, B-nigno, cum suis sociis, Gilda sapiente, sancto David Menevense, et aliis, quos venerabiliis Tica refertur illuc portasse, sciendum quod illic vera-citer dicuntur requiescere sanctus Paulinus Northanimbrorum archiepiscopus, duo innocentes a pio rege Edgardo de Bethleem illuc translati, sanctus Dunstanus Pater magnificus, cuius translationem a Cantuaria ad Glastoniæ subjungemus. Item sanctus Idanus episcopus, et sanctus Ultanus epis-copus, frater beati Fursei, cuius gesta miranda leguntur. Illic et sanctus Iluit inter Walenses famosissimus, et sanctus Besilius in ætate tenui martyrizatus; item reliquia sancti Urbani papæ et martyris, ossa sancti Anastasii martyris, ossa B sancti Cæsarii martyris, ossa sancti Benigni martyris, ossa sancti Melani episcopi et martyris. Ibi etiam requiescit sancta Eadbeda regina, et sancta Celrgitha virgo, tota integræ in carne et osse, sicut testantur qui eam viderunt, cum cilicio et sacro velamine, non putrefactis. Illic etiam sunt ossa sanctæ Batildis reginæ, et ossa sanctæ Mamillæ virginis; insuper corpora sanctorum Ursulae, Dariae, Crisante, Utiliae, Mariæ, Marthæ, Lucia, Lucei, Waleburke, Geretrudæ, et Ceciliae, et præter sanctos enumeratos ibidem sunt sanctorum reliquiae innumerabiles, de dono regum, principum, pontificum, et aliorum nobilium, quorum quædam nomina in antiquis ecclesiæ libris adnotantur: multæ etiam reliquiae de terra Northanimbrorum, tempore guerræ eis a Danis illata. De Gallia insuper tempore suæ persecutionis ad Glastoniæ, quasi ad sanctorum reconditorum, sunt delatae. Et quamvis apud nos non sit eorum plena cognitio, cognitione tamen divina et contemplatione plenius perfruuntur.

*De translatione sancti Dunstani a Cantuaria ad Glastoniam.*

Jam quia de aliis sanctis mentionem fecimus, modum translationis sancti Dunstani subjungemus. Anno ab Incarnatione Domini 1012, regnante illustri rege Eadmundo, patriæ lingua Yreneside nuncupato, advenientes Dani in orientales Angliae plagas, totius Cantuariae fines in suam redigebant potestatem, a quibus multi propria dignitate privati, multi a patria eliminati, multi crudelissima sunt morte trucidati; sive usque ad civitatem Londoniensem, nec gradu, nec ætati, vel sexui parcentes, homicidiis, rapinis, incendiis divina atque humana exterminabant. Hinc, ut de aliis taceam, venerandus archiepiscopus Elsegus propriæ dignitatis est sede propulsus, prædia devastantur, possessiones diripiuntur, cætera sine fletu quis referat? Proh dolor! ingressi sunt sceleratissimi metropolitanam Anglorum ecclesiam, in religiosos famulos Christi irruentes, et, quod dictu horrendum est! a domo Dei singulos elimi-nantes, omniaque incendio consumente. Contigit iisdem temporibus præfatum regem Edinundum Glastoniæ adventare, commoratusque illic ali-

quardi, Brichredo abbatii, et fratribus ejusdem loci, tante captivitatis ex ordine retulit historiam, memorans eisdem Cantuariensem ecclesiam incensam, et habitatoribus ac religione penitus viduatam. Quibus auditis, abbas totaque congregatio ita sunt contristati, ac si singulorum animas gladius pertransiret. Inter cætera etiam eximii Patris sui Dunstani virtutes præcelsas recitabant, qui, dum vivebat, amplis possessionibus, donis, libertatibusque magnificis, et, quod pluris est, regularibus institutis Glastoniæ mirifice insignivit. De his silere præter religionem existimantes, precibus uberrimis opem consiliuque regis similiter implorant, quatenus reliquias gloriösi viri ad loca transferrent religiosa, ubi quondam religionis lacte nutritus ad tantas virtutes excreverat, ut non solum gregem Glastonie, sed et totius Anglie provincias sua posset illustrare doctrina. Quibus auditis, rex eorum desideriis pio occurrens affectu, quod petierant celeri decrevit effectui mancipari. Nec mora, memoratus abbas voti jam compos, quatuor ex suis comunitonibus bujus legationis injungit officium hoc modo, ut videlicet adjunctis sibi sociorum auxiliis, Cantuariam properantes, ad Glastoniæ ossa sanctissimi transferrent Dunstani. Jusserent patris suscipiunt filii devotissime, paralisque tanto itineri necessariis, ac benedictione suscepta, injuncta sibi voluntate prosequuntur alacri, de misericordia Dei, simulque ope dicti sancti plurimum confisi. Idem autem monachi beato Dunstano in carne degenti dudum adhæserant, capelle suæ compleentes officium, qui etiam corpus ejus, anima in quietas sedes translata, sepulturæ tradiderunt; postea etiam cum successore suo sancto, videlicet Alfonso archiepiscopo, usque ad ejusdem communantes martyrium. Complacuit namque prefatis pontificibus, de coenæ monachili Glastoniensi collaterales individuos habere, tum propter prærogativam charitatis, quam nutriculam amplectebantur, præcipue tum ut eorum familiari contubernio exemplariter inflammati, a priori vita, quam cum eis agere solebant cœnobio, nec deviarent. Fratrum autem ipsorum nomina haec fuerunt, Sebirchus, Ethelbuthtus, Bursius, Adelwardus cognomento Quadrans. Igitur memoriali fratres Cantuariam venientes, locum, sicut a rege audierant, omni habitatore nudatum invenienti. Et continuo sepulcrum sanctissimi viri adeunt a se optime recognitum, utpote qui eundem in mausoleo locaverant. Quo aperto, ossa sancti Dunstani super aurum et topazium pretiosa reperiunt, carne tam diurni temporis spatio resoluta, repertaque, reverentia qua decebat, nec sine lacrymis, recolligunt. Annulum etiam digito sancti, cum sepulturæ tradetur, impositum, quem et ipse ætate teneriori fecisse dicitur, recognoscunt. Patratis ergo omnibus pro quibus venerant, prosperatori itineris sui gratias rependentes immensas, Glastoniæ revertuntur, cum gudio pretiosissimas reliquias secum deportantes, quibus reversis, cum quanta omnium lœtitia,

A præcipue monachorum, fuerint recepti, aptius perpendit legentis charitas, quam sribentis evoluta facultas. Facta est autem hæc translatio anno Domini 1012. Secundo videlicet anno post interfectionem sancti Elsegii archiepiscopi, xxiv anno post dormitionem sancti Dunstani.

*Qualiter reliquiae sancti Dunstani sub terra recondebantur.*

Illis ita patratis, immensis Dei beneficiis fratres oscillati, crebris insistebant colloqui: iouis, tractantes qualiter memoratum thesaurum tutiori custodir mundarent; non immerito formidantes, ne hostili rabie sedata, Cantuariensiique Ecclesia in præsum statum reformata, archiepiscopi auctoritate potentiaque præminens, easdem sibi ablatas revocaret reliquias. Et sic quanto beatiores fuerant ipsarum acquisitione, tanto miseriiores ferent posteriori privatione. Communicato demum consilio decreverunt, ut duo ex fratribus senioribus in commissis sibi arcans fideliore, loco secretori ossa sanctissima subconderent, nullique, quoad viventer, tanti secreti cognitionem participarent, sed tanen in extremis laborantes, locum alieni fratrum maturiori et sapientiori designarent, qui similiter in mortis articulo alicui, sicut et sibi fecerat, rem patesceret: ita ut currente tempore, propter varios eventus, locus idem permaneret omnibus incognitus, uno duntaxat conscientia veritatis, quoque placet Altissimo ut lux non lateret sub modo, sed super candelabrum posita luceret omnibus in domo Dei existentibus. Consilium igitur sic initum duo fratres ad hoc electi ducunt ad effectum. Loculum namque ligneum ad hoc satis decenter compositum interius depingunt, ac in dextro latere locelli sed cum titulo, in sinistro vero et cum titulo inscribunt, quibus litteris nomen sancti Dunstani innuere volebant. Inferentes igitur prefatas reliquias in loculum, sub lapide ad hoc exciso reconidunt in majori et vetusta ecclesia, secus aquam benedictam, in dextra parte introitus, monachorum omnibus aliis locum penitus ignorantibus. Ibidem igitur centum et septuaginta duobus annis lateat absconditus, unius tantum cognitioni successum modo præscriptio commissus.

*Qualiter eadem reliquiae iterum inveniebantur.*

Procedente vero tempore, cum adhuc idem sanctus in loco lateret subterraneo, erat ibidem monachus quidam Joannes Canan nomine, ævo matrus, animo sagacissimus, antiqua monasterii notissima habens statuta, cuius etiam notitiae non falsa fratrum opinio hujus arcani scientiam testabatur successiva relatione fuisse commissum, hujus custodiaz deputatus erat frater quidam Joannes de Watelege, dictus tam ætate quam conversione tener, quem ob honeste indolis florem senior nimio mentis amplectebatur affectu. Is a sociis suis incitatus magistrum suum, licet diutius remittentem, precibus uberrimis, blanditiis quoque in-

tersertis, sollicitabat ut locum tanti thesauri consciuum sibi demonstraret. Demum crebris precum blandimentis emolitus, quadam die puer more solito sciscitante, senior in hæc verba linguam resolvit: « Fili mi dilectissime, non ingredieris ecclesiam aqua benedicta te aspersurus, quin lapidem vestibus tuis contingas, sub quo reconduntur quæ requiris; sed de his amplius nihil me pulses, sed audita mente tacita sagacique pertracta. » Puero igitur hæc dicta oblivionis velo nequaquam obducente, senior post dies suos expletos in fata concessit. Post cuius obitum, quæ dicebantur ab eo in tenebris prædictabantur supra tecta, et in communem devenerunt cognitionem; omnibus tamen de sermonis ambiguitate titubantibus, torporeque nimio frigescentibus, nullus experientiae manum apposuit, qua tantæ dubietatis nodum absolveret. Post modici temporis curriculum Glastoniæ carbonibium invasit incendium, quod non solum ecclesiam cæteraque ædificia, sed ejusdem ornamenta, thesauros, et quod pluris est, reliquias, pro magna parte consumpsit.

Cæteram dolores incendio tali causatos non est nostrum hic describere, quia nec circa hoc nostra versatur intentio. Monachi tamen suo mœrori solatum querentes, pauca quæ flamma reliquit, maxime de reliquiis recolligebant. Tandem de sancto Dunstano solliciti, ea quæ de eo Joannes Canan et postea Joannes de Watelege, ut prænotavimus, protulerant, ad memoriam reducta proferunt in commune. Paucis itaque diebus emensis, duo fratres in hoc cæteris animosiores, Ricardus videlicet de Canto, et Radulphus Foc ad locum per Joannem dudum præsignatum pari gradiente affectu: quem diligentius indagantes, lapidem, prout dudum audierant, reperiunt. Quem revolentes, locellum ligneum, ferrea compagine undique consolidatum, subtus aspiciunt. Convocatis igitur priore totalique conventu, thecam aperientes, sacratissima beati Dunstani ossa reperiunt, simulque annulum suum, super quoddam os digitii sui, et ad omnem ambiguitatis nodum absolvendum, picturam vident intrinsecus; et S. cum titulo in dextra parte locelli; D. cum titulo in sinistra, nomen sancti Dunstani ibidem locati exprimentia. Veritate igitur relationis Joannis Canan manifeste comprobata, monachi de inventione reliquiarum desideratissimarum, post priorem refocillati miseriam, easdem leti suscipiunt, ac in scrinio auro et argento decenter vestito repoununt, ea reverentia et devotione, quibus decebat, associantes eisdem humerum cum brachio sancti Oswaldii regis et martyris. Gaudeat ergo Glastoniæ ecclesia tanti munera patroni presentia, per cuius intercessiones et merita, Deus sua non cessat operari magnalia, mortuis vitam, infirmis omnimodo sanitatem, creberrime restituendo, frequenter etiam brutis, in plurimis periculis subveniendo.

#### A De venerabilis cruce quæ quondam locuta est.

In ecclesia Glastoniæ est quædam crux, merito venerabilis, auro et argento cooperata, quæ quondam locuta est. Imo verius Spiritus sanctus in ea cum quodam monacho illius loci, Aylsi nomine, hoc modo: cum idem monachus, per eamdem crucem sicut et per altaria transiens, nequaque debita reverentia se inclinaret, secundum regularem disciplinam, se tandem quadam vice per eam transitum faciens inclinavit. Crux igitur, in vocem quasi debitum organis formatam erumpens, sic ait: *Nute late, Aylsi; nuto late, Aylsi*, qui divina voce percussus statim exspiravit.

#### B De alia cruce de qua cecidit diadema.

Est etiam ibidem alia crux antiquissima, quæ olim in refectorio stare consuevit; de hac ferunt, quod cum die quadam Edgarus rex et Dunstanus archiepiscopus ad mensam sederent, in refectorio cogitationibus divinae voluntati contrariis in cor regis ascendentibus, mirum dictu! imago Dominica ligno crucis affixa, toto se corpore excussit, ita ut motus impetu diadema ejus inter regem et archiepiscopum caderet. Quid hoc portenderet confessio regis manifestavit. Inquisitus enim rex a sancto Dunstano, quid tune cogitaret, aut quid se acturum fore disponeret, fatebatur quæ eadem hora cogitavit, ut monachis ad alium locum translatis, illic moniales aggregaret. Increpatus igitur reverenter a' archiepiscopo, dicente hoc divinae voluntati contrarium, rex tale propositum revocavit in irritum.

#### C De cruce vulnerata.

Est ibidem tercia crux cæteris minor, populo tamen celebrior, ab antiquo auro argentoque vestita, de qua olim ex percussione sagittæ sanguis plurimus virtute divina profluxit, quod taliter evenerit, alias scriptum non facebit.

#### D De quadam imagine beatæ Mariæ.

Est etiam ibi imago beatæ Mariæ; cum ignis ingens olim circumdans pallas, et omnia altaris ornamenta consumeret, ipsam non tetigit, nec etiam peplum capiti ejus appensum. In facie tamen ipsius, pro vapore ignis, vesicæ quasi in homine vivente surgentes, divinam testabantur virtutem, et per multum temporis intuentibus apparebant.

#### E De altari sancti David, quod dicitur vulgo Sapphirus.

Legitur in Vita sancti David Menevensis archiepiscopi, quod enī idem sanctus in Rosina Valle, monasterio quod ipse construxerat, multis fratribus in abbatis officio ministraret, nocte quadam angelus ei adfuit, dicens: « Crastina die præcingens et calceans te, Jerusalem usque proficisci; sed et duos tibi familiares, et probi'ate notos, videlicet Eliud et Paternum, itineris hujus comites habebis, qui ad conductum, quod tibi modo ostendo, crastino convenient. » Sanctus autem nihil moratus, dispositis cellulæ utilitatibus, accepta fratrium benedictione, primo mane iter aggrediens pervenit ad con-

dicunt, promissos fratres reperit. Igitur pariter intrarunt viam non fastu circumdati satellitum, sed unitate locupletes animorum, qualis eorum dominus, qualis et minister. Venientibus autem eisdem in exteras provincias, sanctus David ita linguarum gratia ditatus est, ne inter barbaros interprete egerent. Appropinquantibus deum ad locum optatum, nocte praecedenti eorum adventum, patriarchæ Jerosolymitanæ angelus apparuit, dicens: «Tres ab occidentis filiis viri catholici adveniunt; quos cum gaudio et hospitalitatibz gratia suscipiens, milii in episcopos congregabis.» Patriarchæ vero divinæ visionis compositæ, advenientibus sanctis imperata luctus exsequebatur. Quibus consecratis, ait patriarcha: «Judæorum potestas invalescit in Christianos, nosque commoventes fidem repellunt; petite itaque, et ad prædicationem singulis diebus procedite, ut eorum violentia confutata quiescat, noscens fidem Christianam occidentis filiis divulgatam, ac ultimis terræ extremitatibus decantatam.» Obediunt imperio, prædicationi insistentes, acceptaque sua prædicatione infideles convertunt: infirmos roborant, perfectisque omnibus repatriare disponunt. Tunc patriarcha venerabilem Patrem Dewy quatuor muneribus ditavit: altari scilicet consecrato, in quo Dominicum corpus sacrabat, quod et innumeris pollet virtutibus; insigni etiam nola, baculo et tunica ex auro texta, quæ omnia gloriiosis prædicatorum cornuæ miraculis. «Sed quia, inquit patriarcha, hæc Itinerantibus vobis essent onerosa, cum ad vestra veneritis, ea vobis transmittam.» Valedicto igitur patriarcha, ad sua deum perveniant, sancti viri promissum expectantes. Accipiunt tandem munera per angelos sibi destinata. Dewy in monasterio, quod dicitur Langemelech, Paternus et Eliud in suis monasteriis. Inde ea vulgus vocat *E' corlo venientia*. Sanctus autem David, cum tam pretiosi thessauri post se custodiire gestiret, habere dignissimum eundem lapidem ecclesiæ Glastonie adhuc vivens delegavit, quia ob loci veneranda antiquitatem et sancti Patricii præcipue, aliorumque sanctorum reliquias ibidem reconditas, miro amplectebatur affectu, ut gesta sua legentibus multis claret argumentis: ostenditur autem adhuc memoratum altare in Glastoniensi ecclesia, in memoriam dicti sancti, non humana reservatum industria, sed divina providentia, quæ inter inumeros rerum turbines, inter regum regnorumque mutationes, inter gravissimas guerræ ruinæ procellæs, omnibus aliis pene sublatis, ejusdem subreptione avidas hostium manus jugiter contraxit; cassula autem in qua eundem lapidem suscepit beatus David, adhuc in episcopali sede ejusdem condigno reservatur honore. Cum vero saepe dictus lapis olim metu guerra multo tempore latuisset absconditus, omnibus loci nesciis, pia recordationis Henricus Wintoniensis episcopus, et abbas Glastonie, eundem in quadam ostio Ecclesiæ Beatae Mariae reperit, ac auro et argento, et

A lapidibus pretiosis, sicut adhuc apparet, magnifice decoravit.

#### *De nobilibz Glastonie sepultis.*

Quantum autem Glastonie ecclesia fuerit etiam primatibus patriæ venerabilis, et ad sepulturam desiderabilis, ut ibi potissimum, sub protectione Dñi Genitricis, operientur diem Resurrectionis, nihil sunt indicio quibus pro cautela fastidii abstines. Prætermissio de Arturo inclito rege Britonum, in coemeterio monachorum inter duas pyramides cum sua conjugi tumulato; de multis etiam Britonum principibus. Prætermissio etiam de Kenwino in una pyramide locato. Insuper tumulos regum Edmundi Senioris in turri ad dexteram, Edmundi Minoris ante magnum altare, Edgari prius in capitulo ante introitum ecclesie, modo in scrinio, quod etiam de martyre superbit Vincentio, de quibus si se locus dederit, non me ista frustra suscepisse causabit posteritas. Taceo et episcoporum sepulcræ Brituvii, et Brituvioldi, quæ porticum aquilonarem ad sanctum Joannem Baptistam uberem insignient, Sivingi et Seifridi episcoporum, Alfsari, Adbelstani, Athelwini, Delnodi ducum; quorum videlicet duorum, quilibet centum libratæ terre cum multis aliis bonis contulit Glastoniar.

#### *De duabus pyramidibus*

Illud quod clam pene omnibus est libenter præcare, si veritate exsculpere possem, quid ille pyramides sibi velint, quæ aliquantis pedibus ab ecclesia vetusta positæ, coemeterium monachorum prætexunt; procerior sane et propinquior ecclesie habet quinque tabulatus, et altitudinem xxvi pedum; hæc præ nimia vetustate, etsi ruinam minetur, habet tamen antiquitatis nonnulla spectacula [fort. speciniva], quæ plane possunt legi, licet non plene possint intelligi. In superiori vero tabulatu est imago pontificalis chemate facta. In secundo imago regiam prætendens pompan et litteræ: Her, sexi, et Blisger. In tertio nibilominus nomina: Wemereste, Bantomp, Pinepegn. In quarto: Hlats, Pulfred, et Eanfled. In quinto qui et inferior est, imago, et hæc scriptura, Sogpor, Peslicas, et Bregden, Spelpes, Hgin, Geddes, Bern. Altera vero pyramis habet xviii pedes, et quatuor tabulatus, in quibus hæc leguntur: Heddæ episcopus, et Bregored, et Bearward. Quid hæc significant non tenere diffinio, sed ex suspitione colligo, eorum interius in cavatis lapidibus contineri ossa, quorum exterius leguntur nomina. Certe Sogpor is pro certo asseritur esse, de cuius nomine Sogperesbeorh dicebatur, qui nunc Mons acutus dicitur. Bregden a quo Brentacolle, qui nunc Brentamerse dicitur. Beorwald nibilominus abbas post Hemigisclum, de quibus et de ceteris, qui occurre poterunt, ex binc liberiori campo exultabit oratio. Jam vero abbatum scriem, et quid cuique est, a quo rege ad usus monasterii delegatum sit, sermo explicare contendet.

*De regibus, abbatibus, et aliis fundatoribus Glastoniensis ecclesiae seriatim expressis.*

In primis memorandum quod duodecim discipulis sanctorum Philippi et Jacobi, anno Dominicæ Incarnationis 63 in Britanniam venientibus, tres reges, licet pagani, xii portions terræ contulerint, unde adhuc nomen xii hidarum perseverat. Deinde sancti Phaganus et Deruvianus in Britanniam venientes, et eam fidei gratia illustrantes, a rege Lucio per eosdem in Christo renato, insulam Avallonie cum suis adjacentibus confirmari obtinuerunt, xii fratribus ibidem institutis, ac aliis post eos instituendis. Successit post multum tempus beatus Patricius, qui adhuc fratres xii quasi eremiticam vitam agentes reperiens, eosdem vitæ cenobiali informavit, et multis possessionibus, licet nobis incognitis, ut credi fas est, ditavit. Successit sanctus Benignus; quis autem hic fuerit, et quomodo patria lingua dictus, non infacete exprimunt versus, qui in epitaphio sepulcri ejus apud Ferremere scripti sunt:

*Hoc patris in lapide Beonnae sunt ossa locata.  
Qui pater exxit erati monachorum hic tempore prisco,  
Hunc fore Patricii dudum fortasse ministrum,  
Fantur Hybernenæ, et Beonam de nomine d. cun.*

Successerunt ibidem plures de natione Britonum abbates, quorum tam nomina, quam gesta et memoriam, oblivionis nubilo obducens, delevit antiquitas, ipsam tamen ecclesiam apud magnates Britonum in maxima suisse veneratione, ostendunt eorum exuviae ibidein requiescentes. Trium tantum horum abbatum nomina rerum præteriorum recordatrix manifestat pictura, quæ sunt Worgret, Lademund, Bregored; sed de his postea.

#### *De illustri Arturo.*

Legitur in gestis illustrissimi regis Arturi, quod cum in quadam festivitate Natalis Domini apud Karlium, strenuissimum adolescentem, filium scilicet regis Nutb, dictum Ider, insigniis militaribus decorasset, et cumdem experiendi causa in montem Ranarum, nunc dictum Brentenol, ubi tres gigantes malefacti famosissimos esse didicerat, contra eosdem dimicaturum duxisset; idem tiro Arturum et suos comites ignorantes præcedens, dictos gigantes fortiter aggressus, mira cæde trucidavit. Quibus peremptis Arturus adveniens, dictum Ider nimio labore deficiente, et sui omnino impotem, in extasi collapsu inveniens, eumdem quasi defunctum cum suis lamentabatur. Rediens ergo ad sua cum ineffabili tristitia, corpus quod exanime existimabat, ibidein reliquit; donec vehiculum ad illud reportandum illuc destinasset. Sese etiam necis ejus causam reputans, quia tardius ad auxilium ejus venerat, cum demum Glastoniam adveniret, ibidem quatuor viginti monachos pro anima ejusdem instituit, possessiones et territoria ad eorum sustentationem, aurum et argentum, calices et alia ornamenta ecclesiastica largiens abundantier.

*A De terra Yneswitrin data Glastonia, tempore Anglorum ad fidem conversorum.*

Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo primo, rex Domnoniæ terram, quæ appellatur Yneswitrin, ad ecclesiam vetustam concessit, quæ ibi sita est, ob petitionem Worgret abbatis, in Quinque cassatis. «Ego Mawrone episcopus hanc chartam scripsi; ego Worgret ejusdem loci abbas subscripsi.» Quis iste rex fuerit schedulae vetustas negat scire. Verumtamen quod Britannus fuerit hinc presumi potest, quia Glastonia lingua sua Yneswitrin appellavit, sic enim eam Britannice vocari apud eos constat. Worgret autem abbati, cuius nomen Britannicam barbariem redolet, successit Lademund, et ei Bregoretd. Prælationis eorum tempora sunt in obscuris, sed nomina illorum et dignitates in majori ecclesia, prudente secus altare pictura, sunt in propatulo. Bregoredo successor Berthwaldi.

#### *De Kenwachio rege et Berthwaldo abbatte.*

Anno Dominicæ Incarnationis 670 Kenwald qui et Kenwalchius, qui a Cerdicio septimus apud Westsaxones, et per beatum Birium in Christum credidit, anno regni sui xxix, Berthwaldus abbati, interveniente Theodoreto archiepiscopo, dedit Ferramere ii bidas. «Ego Theodoreto subscripsi.» Dedit et idem rex Beokerio, Godenie, Mynesie, et Andregesie. Iste Berthwaldus, transactis decem annis in regimine Glastonia, Cantuariensis archiepiscopus fuit. Quare autem Glastonia regimini, renidente rege et illius dioecesis episcopo, reuniverit, in sequentibus palam erit.

#### *De Kenwino rege, qui Glastoniam libertale donavit.*

Berthwaldus successor Hengesel, qui xxv annis Glastonia presuit, huic, anno ab Incarnatione Domini 678, Kenwinus rex Glastingoi liberam ab omni servitio concessit vi bidas, quem pro sua fidelis conversatione, et episcopi Hedde, et monachorum petitione, abbatem ibi constituit; al. tamen conditione, quatenus fratres ejusdem loci habeant jus eligendi et constituendi rectorem, juxta Regulam sancti Benedicti MUNICATONE; et iuxta silvam, inquit, quæ vocatur Contuedun, xxiii bidas, in Caric xx lidas, et in Crucan iii bidas, ad supplementum vitae regularis in monasterio Glastingabiri, sub divini timoris instinctu, humiliiter largitus sum, et cetera. Hujus regis exuviae in coemeterio monachorum, in pyramide quondam nobiliter exsculpta requiescent. *D* De Baldredo rege qui dedit Pennard et Muntagu.

Anno Dominicæ Incarnationis 681, Baldred rex i, Penward, Penger vii bidas, Logporez Beork xvi bidas, et capturam piscium in Pedride Hemgillo abbati, ad supplementum honorabilis ecclesiae Beatae Mariae, et beati Patricii, quæ sita est in Glastingabari, cum consensu et licentia pontificis nostri Hedde, Kenwino etiam consentiente, dedit. Et post aliquanta: «Ego Hedde episcopus hanc chartulam conscripsi. Ego Aldelinus abbas consensi, et subscripsi eodem anno; Hedde episcopus.»

*De Leghe.*

*Lauctocacy vi hidæ, Kenwino etiam et Baldreda consentientibus, dedit Glastoniam; quam donatiōnem Cedwalla confirmavit, et propria manu, licet paganus, signum crucis expressit.*

*De gloriose rege Ina, qui Glastoniam tam in donis quam privilegiis multipliciter honoravit.*

Nunc quia serie annorum ducente ad Inam regem Westsaxorum venimus, libet terras particulatio exprimere; quas idem eximus vir vetusta ecclesie in Glastoniam pia contulit liberalitate.

*De Brente data per Inam.*

Anno ab Incarnatione Domini 620, Ina dedit Hemigislo abbati Brente x hidæ; quam terram Berthwald abbas sponte propria deseruit, et sine nostra violentia, et sine expulsione, locum proprii cœnobii dimisit, et contra interdictum et voluntatem pontificis nostri decessit. Item rex eidem abbati in hæc verba privilegium concessit.

*Perrum privilegium regis Inæ.*

¶ In nomine Domini nostri Iesu Christi, ego Ina rex decreto et consilio præsulis nostri Aldelmi, si mulque cunctorum Dei sacerdotum suggestione, et monachorum petitione, qui in parochia West Saxonum conversantur, hanc liberalitatem monachis, qui in ecclesia beate Dei Genitricis Mariæ, et beati Patricii, omnipotenti Deo sub abba Hemigislo famulatur, in pristina urbe que dicitur Glastingai, impendo, et hanc privilegii dignitatem super altare pono, ut sine impedimento rerum sacerdum, et aliisque tributo fiscalium negotiorum, liberis mentibus soli Deo servant, et monasticam disciplinam, Christo suffragium largiente, regulariter exerceant, et pro statu et prosperitate regni nostri, et indulgentia commissorum criuiniū ante conspectum divinæ majestatis preces fundere dignentur. » Et infra: « Pro ampliori firmatatis testamento, præncipes et senatores, judices et patricios subscribere fecimus. Actum publice hoc confirmatum in lignea basilica, anno ab Incarnatione Domini 704. Ego Aldelmus subscrpsi, » etc.

Ilic Hemigislus sc. Cinis fato perfunctus, in vetusta ecclesia pausam corporis suscepit.

*Bouelt.*

Successit Bervaldus anno ab Incarnatione Domini 705. Ina Bervaldo abbati dedit xx hidæ juxta Tamur, et xx hidæ in loco qui dicitur Bouelt.

*Sowy.*

*Soeg vii hidæ. Correges vi hidæ*

*Exford.*

*Exford dimidium hidæ cum captura piscium.*

*Dulting.*

*Dulting xx hidæ. Ego Aldelmus hauc schedulam scripsi*

*Pilton*

*Dedit et Ina rex Pilton xx hidæ eidem abbati.*

*Cliwere.*

*Dedit Wilfridus episcopus insulam de Wethmor*

A lxx hidæ, a rege Kenwino sibi datas, et villam de Cliwere i hidam.

*Bledehit.*

Illi successit Albert, anno Incarnationis Domini 712, cui Forthero episcopus, successor sancti Aldelmi, dedit Bledehit i hidam.

Successit Echfridus, cui, anno Incarnationis Domini 719, dedit Ina unam hidam cum captura piscium axe. Eadem Bugu abba dedit Ora, tres hidæ. Fundavit insuper Ina maiorem ecclesiam de apostolis Petro et Paulo; et quia plures ibidem basilicas fuerunt, libet de situ diversarum ecclesiarum Glastonie, et fundatoribus earum veritatem intersetere.

Primam igitur et vetustissimam fecerunt xii discipuli apostolorum Philippi et Jacobi, ut præscriptum est; hæc sita fuit in occidentali parte aliarum. Secundam fecit sanctus David Menevensis episcopus, in orientali parte antiquioris ecclesie, in honorem beatæ Mariæ, quando vetustam ecclesiam dedicauit dispositus, ac a Domino prohibitus est, eo quod ipse eamdem dedicaverat. Tertiam fecerunt xii viri, a boreali parte Britanniae venientes, scilicet Morgen, Catgur, Badiunor et cæteri superius memorati; et hæc similiter erat sita in orientali parte vetustæ ecclesie. Quartam et maiorem construxit Ina rex, in honore Domini Salvatoris, et apostolorum Petri et Pauli, in orientali parte aliarum, pro anima fratris sui Mules, quem Cantuarie infra Cantuariam incenderant; in cuius supremo ordine hos versus C fecit describi:

*Sideres montes, speciosa cactumina Sion*

*A Libano geminæ flore comante cedri,*

*Colorum portæ, lati duo lumina mundi,*

*Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.*

*Inter apostolicas radianæ luce coronas,*

*Celsior ille gradu, doctior hic monius*

*Per corda hunc hominum reseruantur, et astra per illum.*

*Quos docet iste stylo, suscipit ille polo.*

*Paudi iter coeli hic dogmata, clavis alter.*

*Est via cui Paulus, janua fida Petrus.*

*Hic petra firma manens, ille architectus habetur,*

*Surgit in his templum, quo placet atra Deo.*

*Anglia, plaudet libens, mittit tibi Roma salutem:*

*Fulgor apostolicus Glastoniam irradiat.*

*A facie hostili duo propugnacula surgunt,*

*Quos fidei turres uibz caput orbis habet.*

*Haec pius egregius rex Ina reseruit amore,*

*Bona suo populo non moritura dedit.*

*Totus in affectu diuæ pietatis inhærens,*

*Ecclesiæ juges amplificavit opes.*

*Melchisedech noster merito rex atque sacerdos,*

*Complivit vera religiosis opus.*

*Publica jura regens, et celso palutia serrans*

*Unica pontificum gloria, norma fuit.*

*Hinc abiens ill.c meritorum vivit honore,*

*Hic quoque gestorum laude perennis erit.*

*De capella argentea quam ibidem fecit rex Ina cum suis vas's.*

fecit etiam idem rex construere quamdam capellam ex auro et argento, cum ornamentis et vasis similiter auris et argenteis, ac iufra maiorem collocavit. Ad capellam itaque construendam duo milles et sexcenta et quadraginta libras argenti donavil.

et altare ex ducentis et sexaginta quatuor libris auri erat; calix cum patena de x libris auri; incensarium de viii libris et xx mancis auri; candelabrum ex xii libris, et dimidio argenti; coopertoria librorum Evangelii de xx libris, et lx mancis auri, vasa aquaria et alia vasa altaris ex xvii libris auri; pelves de viii libris auri; vas ad aquam benedictam ex xx libris argenti; imago Domini et beatae Mariæ et duodecim apostolorum ex centum et lxxv libris argenti, et xxxviii libris auri; palla altaris, et ornamenta sacerdotalia undique auro et lapidibus pretiosis subtiliter contexta. Hunc ergo thesaurum ob amorem sanctæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ monasterio Glastonie dictus rex contulit devotissime; insuper scripto regio terras, possessiones et libertates ejusdem ecclesiae confirmavit in hæc verba:

*Magnum privilegium regis Ina.*

¶ Adjuva nos, Deus salutaris noster. Quæcumque secundum decreta canonum, atque ecclesiastica instituta, salubri consilio diffiniuntur, quanquam sermo tantum absque textu sufficeret, tamen quam plerumque nostris temporibus tempestates et turbulæ sæcularium rerum etiam portas Ecclesie pulsant; idcirco operæ pretium censimus ob cautelam futurorum, ea quæ diffinita sunt paginis Scripturarum adnectere, ne in posterum oblivioni tradita ignorentur. Quapropter ego Ina, regali fretus dignitate a Domino, cum consilio Sexburgæ reginae, et licentia Beorchwaldi Borobernensis ecclesiae pontificis, et omnium suffraganeorum suorum, nec non etiam hortatu Baldredi et Athelardi subregulorum ecclesie vetustæ, quæ est in loco qui dicitur Glastein, quam magnus sacerdos et pontifex summus angelorum obsequio sibi, ac perpetuæ Virgini Mariæ, beato David, multis et inauditis miraculis olim se sanctificare innotuit, ex his quæ paterna hereditate posseio, et in dominium peculiare teneo, locis continuis et congruentibus concedo, ad supplementum vite regularis, et ad usum monachorum, Brete decem hidæ, Sovi duodecim hidæ, Pilton viginti hidæ, Dulting decem hidæ, Bledcin unam hidam, cum his omnibus quæ antecessores mei eidem Ecclesie contulerunt. Benewalchius, qui sancto Theodoro archiepiscopo interveniente, Ferlinguere, Beokerie, Godenie, Martinesie.

¶ Kenwinus rex qui Glastingeiæ matrem sanctorum vocare solitus fuerat, et eam ab omni sæculari et ecclesiastico obsequio immunem statuit, et hanc privilegiæ dignitatem concessit, ut habeant fratres ejusdem loci potestatem eligendi et constituendi sibi rectorem juxta Regulam sancti Benedicti.

¶ Heilæ episcopus, qui, Cedwalla annuente, et propria manu licet paganus confirmante, Lætokay, Baldrec, qui Pennard, vi hidæ. Adhelard qui Preld, lx hidæ, Ina annuente et confirmante, dederant. Quorum ego devotioni et benignæ petitioni assentio, et contra malignantium hominum, et oblatrantium canum insidias, regalium munimine littoralium invigilo, quatenus ecclesia Domini nostri

A Iesu Christi, et perpetuæ Virginis Mariæ; sicut in regno Britannie est prima, et sons et origo totius religionis, ita et in ipsa supereminente privilegi obtineat dignitatem, nec ulli omnino hominum ancillare obsequium faciat in terris, quæ super choros angelorum dominatur in cœlis. Igitur, summo pontifice Gregorio annuente, et ut matrem Domini sui in sinum et protectionem sanctæ Romanæ Ecclesie me licet indignum cum ipsa suscipiente; consentientibus etiam omnibus Britannie regibus, archiepiscopis, episcopis, ducibus, atque abbatis, status ego atque confirmo quatenus omnes terræ et loca et possessiones Beatæ Mariæ Glæsteæ sint quieta, et ab omnia regiis exactionibus et operibus, quæ indici solent, videlicet expeditione et pontis arcisæ constructione, et ab omnium archiepiscoporum et episcoporum propagationibus et perturbationibus, sicut in antiquis ejusdem ecclesie chartis ratum esse invenitur, et a prædecessoribus meis Kenwalchio, Kenwino, Cedwalla, Baldredo confirmatum esse dignoscitur, inconcussa et illibata permaneant. Et quæcumque emerserint cause in homicidiis, sacrilegiis, veneficiis, furtis, rapinis, in dispositione ecclesiarum et descriptione, in ordinatione clericorum, in conventiculis synodalibus, et in omnibus judiciariis, examinationibus, absque ullius hominis præjudicio, abbatis et conventus dispositione diffinantur. Sed et omnibus regni mei regibus, archiepiscopis, episcopis, ducibus, et principibus, super honorem suum et amorem meum præcipio; et omnibus tam meis quam eorum ministris super salutem corporis sui præcipio, ne ullus eorum in insulam Domini nostri Jesu Christi, et perpetuæ virginis Mariæ Glæsteæ, nec ejusdem ecclesie possessiones causa placitandi, persecutandi, rapiendi, præcipendi, interdicendi, vel aliquid faciendi, quod ibidem Deo famulahtibus possit esse in scandalum, audeat intrare: illud autem omnipotentis Dei et perpetuæ virginis Mariæ, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et omnium intercessione sanctorum, interdictione interdico, ne in ipsam Glastonie ecclesiam, nec in ecclesiis sibi subditis, videlicet Sowy, Brente, Merlinge, Sapewic, Stret, Sbudecaleth, Pilton, nec in earum capellis, sed nec in insulis, aliqua inter-

B D veniente occasione, episcopus cathedram sibi episcopalem statuere, nec missas solemnies celebrare, nec altaria consecrare, nec ecclesias dedicare, nec ordines facere, nec aliquid omnino disponere præsumat, nisi ab abbatte vel a fratribus invitatus fuerit. Quod si ad hæc invitatus fuerit, nihil de rebus ecclesie, sed nec de ipsis oblationibus, ipse sibi aliquid usurpet. Duobus in locis, ex ipsis ecclesie possessionibus, duas ei delegamus mansiones, unam in Poert, alteram in villa quæ Piltona dicitur, ut habeat ubi adveniens hospitetur, vel inde veniens sece recipiat, neque vero eum ibi nisi importunitate temporis, aut molestia corporis detentus fuerit, aut ab abbatte vel a fratribus rogatus fuerit, nec amplius quam cum tribus aut quatuor clericis pernoctare licet. Hoc

etiam providat idem episcopus, ut singulis annis A Westsaxonum dedit hujuscemodi privilegium Glastonie:  
 etiam clericis suis, qui Fontanetum sunt, ipsam matrem suam, Glastoniensem videlicet ecclesiam, seria secunda post Ascensionem Domini cum litania recognoscat. Quod si superbia iustitius eam distulerit, et quæ superioris dicta et confirmata sunt prævaricaverit, mansiones sibi superioris delegatas amittat: abbas vel monachi a quocunque voluerint, qui pascha canonicum celebret ecclesiastica in Glastoniensi ecclesia, aut in ecclesiis sibi subjectis, aut in carum capellis præcipiat. Quisquis autem hujus meæ munificæ et liberalitatis testamentum, quovis deinceps tempore, aliqua occasione cujuslibet dignitatis, vel professionis, vel gradus perversere, vel in irritum deducere tentaverit, sciat se cum Juda proditore æterna confusione, edacibus inestabilium tormentorum peritum flammis. Scripta est autem hujus donationis et privilegii pagina, anno Dominicæ Incarnationis 725, indictione iv, sub presentia Inæ regis, et Beortwald Dorobernensis pontificis, venerandorumque antistitutum Danielis atque Fordredis, et aliorum quorum nomina inferius adnotantur.

« Ego Ina rex propriæ manus subscriptione hanc donationem et libertatem sub sigillo sanctæ crucis ratum fieri decerno.

« Ego Ædelburga regina consensi.

« Ego Baldredus rex confirmavi.

« Ego Adelard frater reginæ consensi.

« Ego Borthwaldus Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopus, Inæ regis donationem et libertatem sub sigillo sanctæ crucis corroboravi, et magnates quamplures alii. »

#### *De fine regis Inæ.*

Dehinc prædictus rex Ina litteras regali signaculo signatas summo pontifici direxit, in quibus omnia prædicta continebantur, simul cum quadam scypho aureo, ac aliis donis regalibus, supplicans ut Glastoniensem ecclesiam cum pertinentiis et libertatibus suis in protectionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ susciperet, et ipsam auctoritate apostolica in perpetuum confirmaret. Eodem autem anno quo idem rex Romanam personaliter adlit, præmium apostolico signaculo corroboratum in redeundo Glastoniæ asportavit. Et postea iterum cum Æthelburga regina uxore sua, instinctu videlicet ejusdem, Romanam abiit. Ibi ne conversionis suæ pompam saceret, ut solius Dei placeret oculis, amictu plebeio tectus clam consenuit; denum viam universæ carnis ingressus, non sine magnis, ut accepimus, miraculis.

#### *De Cengille abbatæ.*

Æthfrido abbati successit Cengille, anno Dominicæ Incarnationis 729. Edelard successor Inæ concessit familiæ, quæ in monasterio Glastingebiensis omnipotenti Deo, sub religioso abbatæ Cengillo famulantur, in stabilem possessionem lx hidias in Polonholt, et in Torrie x. Ejusque uxor Fredogipa, Brunantun v hidias.

#### *Prælegum Cuthredi regis.*

Anno Dominicæ Incarnationis 744, Cuthred rex

In nomine Domini nostri Jesu Christi, ego Cuthredus rex Saxonum universa regum priorum suppetitia Kentwines, Baldrades, Cedwallani, Iæs, Ethelardes, Athelbaldes regis Merciorum, in villis et in vicis, et in agris, ac in praediis, mansisque majoribus, ut est pristina urbs Glastoniæ corroborata, sive propriæ manus subscriptione crucis signo confirmatum hoc donativum stabile jure datum et ratum regum prædictorum decerno durare, quandiu vertigo poli terras atque æquora circa æthera siderum jusso moderamine volvet. Si quis autem hujus meæ donationis testamentum visus fuerit constringere, vel gressum pedis nobis Hengis-singum traditum uberemque glebam extra terminos præfixos, vel definitos limites, seu constitutos fines adimere; ipse acrius multatus, sit infernalis ergastuli in pena demersus, violentiaque suæ presumptionem luat in ævum. Amen.

« Ego Cuthredus rex Westsaxonum propriæ manus subscriptione sanctæ Crucis designans effigium ut nemo qui se regeneratum in Christo noverit, presumat mutare hanc donationem.

« Ego Kerewaldus episcopus subscripsi et confirmavi.

« Signum manus Cumbran præfati regis et aliorum multorum nobilium.

Exemplar hujus largitionis et privilegii promulgatum est anno Incarnationis Domini 744, in prædicto cœnobio, sub presentia regis Cuthredi, quod propriæ manus munificia, votiva vero devotione, altario sacro commendavit, in liguea basiliæ et honorabili, qua fratres beatæ memorie Hemilli sarcophagum sortiuntur.

« Ego Daniel subscripsi. »

#### *De Ure et Baltenesbeorgæ.*

Anno sequente, id est Incarnationis Dominicæ 745, idem Cuthred dedit Cumberto abbati Ure vi hidias; Lulli, Baltenesbeorghe, Scrobbamuth x hidias. Sequentे vero, id est Incarnationis Domini 746 anno, ego Æthelbald, pro redemptione animæ meæ, Tumberto ix annos præsidenti, ei familie que in monasterio Glastingabiry fidieli Deo famulantur obsequio, largitus sum pretio cccc solidorum iv hidias, duobus in locis Jetelig et Bradanlegh.

#### *De Ticam abbate.*

Anno 754 Sigebertus pretio i solidorum auræ concessit Ticam abbati, et monachis in urbe Glastonensis degentibus, xxii hidias in Polilt. Idem etiam Ticam vi hidias, quæ in occidentali parte illius remanserant, pretio regio, scilicet l solidos auri, ab eodem rege comparavit, ut æterna esset hereditas monasterii Glastoniæ. De hoc qui et vi annis Glastoniæ præfuit superioris præoccupari dicere, quas scilicet reliquias ecclesiæ attulerit; ubi sepultus cum sociis acceperit, testatur hoc epitaphium quod legere non neglexi:

*Tumba hæc mirifico fulget fabricata decore,  
Desuper exsculptum conditum sub culmine Ticam.*

De quo sepulcro per succidua saecula istud narratur miraculum, quod cum illud quidam aggressus esset diruere, statim excitata multatus; cognovit culpam, nescio si promeruit veniam.

*De Cuban abbatu sub Cinewlfso rege.*

Anno 760 Cinewlfus rex dedit Cuban abbati, qui et Glastoniæ ii annis præfuit, Sudeton v hidæ. Hunereshburg in orientali ripa Petride, Ethelard minister ejus iii hidæ in Cedern. Sulca Christi ancilla dedit Culum xi hidæ, Cumbae iii hidæ.

Anno 712 Cinewlf dedit Walduno abbatu Cunctum v hidæ: hic præfuit Glastoniæ xxxii annis.

Anno 724 Offa rex Merciorum dedit Beadewlf abbatu ad supplementum venerabilis ecclesiæ in Espirht x hidæ; hic præfuit vi annis, Ethelmund assensu regis Offæ dedit Huneswelle i hidam.

*De libertate data Kinelmo in ecclesia Glastoniæ.*

Anno 726, Leo tertius ejus nominis papa factus est. Quo tempore Carolus Magnus regnabat in Francia, Brihtricus erat Westsaxonum, Kenwulfus post Egsfridum, qui patri Offæ vix quatuor mensibus successerat, rex Merciorum in Anglia. Sed de papa isto et regibus, si quis dignabitur legere, in Gestis regum Anglorum, libro primo poterit invenire, nunc eorum nomina tetigisse sufficiat, quoniam ad rem, quam explicare conamus, multum attinet. Leo vero papa confirmavit Kinelmo libertatem donationis monasterii Glastoniensis, in octingentis hidis, ipsi et successoribus ejus in sua religione et stabilitate in perpetuum. Ita tamen ut monasterium in sua religione et stabilitate in omnia saecula perseveraret. Data est autem libertas Kinelmo, annidente et confirmante Kenwlfso rege Merciorum, et fortasse, sicut ex consequentibus conjici potest, mutato, ut sit, regnum statu, quamvis Glastonia sit in Westsaxonia, Merciorum reges vel eam pro amore defensibant, vel ei pro jure imperabant. Privilegia sane papæ et regis, quia nusquam nisi Anglice scripta reperi, in eo labore transfundam in Latinum, quantum intelligo ex sensu sensum.

*Privilegium Leonis papæ.*

« LEO apostolicæ sedis papa, servus servorum Dei, KINELMO regi, et ejus ministris, et cognatis et successoribus ejus, optat et mituit pacem et salutem perpetuam.

Bonæ voluntatis et laudabilis optionis cogitatio, tum apostolicis scriptis est confirmanda et corroboranda, ut quod bene fuerit factum, et per rationabilia exempla confirmatum, nulla deinceps possit corruptione vel turbari vel frangi, imo potius inviolabili rectitudine, et divina auctoritate, debeat inconcussum permanere. Et ideo egregie apostolica sententia præcipitur, ut incunctanter confirmari debeat, quod recte inchoatum fuisse constat. Quapropter quia notum est quod tua illustris fides petuit a nobis, ut tibi scripto confirmaremus monasterium Domini nostri Jesu Christi, in Glastonia Westsaxonum regni, in quo monasterio servorum

A Dei congregatio est, cuius terræ ad octingentas hidæ numerantur in multis provinciis et locis positæ, sicut Egsfridus rex omnem illam terram descriptis, cum judicio et licentia Brihtrici regis, et cum licentia et testimonio Merciorum episcoporum, et principum, et sicut postea Kenwlfso regi Merciorum omnes illæ terræ scripto confirmatae sunt. Ideo concessionem illam regum et episcoporum, et principum, cum corroboratione regis Merciorum Kenwlfis, cum apostolico robore et auctoritate confirmamus tibi, Keneline, et successoribus tuis; monasterium scilicet libere in perpetuum habendi, cum omnibus villis et agris in multis regionibus divisis, cum omnibus rebus ad hoc pertinentibus, silvis et pratis, et pascuis, et piscium capturis, hac conditione, ut frequentarent ibi luminaria coram Deo, et spirituales cantus, et psalmi, et missæ contentur, et concordia sine simulatione: hinc enim scriptum est in Evangelio: *Domus mea domus orationis vocabitur* (Matth. xxi). Quocirca servi Dei qui in hac vita laborant, debent diutum cum timore divino totum spirituale officium implere, ut possint Domino nostro Iesu Christo placere. Præterea constitimus cum apostolico præcepto, et sub timore divini iudicii, et sub excommunicationis interminatione, ne ullus rex, aut archiepiscopus, aut episcopus, aut princeps, aut alicuius potestatis homo exaltatus, sive in majori ordine, sive in minori, ista nostra apostolica decreta violenter infringat, aut minuat; sed magis decernimus, ut præfatum monasterium firmum et stabile in omnia tempora perseveret. Quare si quislibet, quod non optamus, ista præcepta nostra debilitaverit, sciat seipsum per auctoritatem Domini Petri apostolorum principis excommunicationis vinculo irretitum, et a regno Dei extorrem: quicunque vero tenuerit, et servarit ista nostra apostolica decreta, sciat se promeruisse benedictionem apostolicam, et æternam vitam, a misericorde Creatore nostro. Data per manus Eustachii primicerii notariorum, mense Martio, inductione III, octava die Martii, confirmata per manus Paschalis senioris, et consiliarii apostolicæ sedis, regnante Domino nostro Iesu Christo, cum Deo Patre per infinita saecula, tertio anno per misericordiam Dei papatus domini nostri Leonis, in sancta et apostolica sede sancti Petri, et etiam per licentiam domini Caroli Francorum regis et Longobardorum, et patricii Romanorum, anno regni ejus xxv. »

*Privilegium Cenwlf regis.*

« Regnante in perpetuum Domino nostro Iesu Christo omnium regnum Domino, ego Cenwlf rex Merciorum, postquam electus sum in regem per Deum omnipotentem, qui est omnium bonorum largitor et retributor, hanc subscriptam libertatem a domino Leone apostolico papa acquisivi, Kinclmo et successoribus suis; et sicut eamdam libertatem Egsfridus rex antecessor meus ei firmiter condonavit, ita quoque ego ei scripto confirmo, cum consilio et licentia terrenorum principum, quorum inferius nomina scripta sunt, et ei sine ullo mendacio aut

dolo largior firmiter habendam. Hæc confirmatio Cenwlf, et episcoporum ejus, et principum, fuit constituta et scripta in venerabili loco, qui dicitur Glastingebiry, anno 712 Incarnationis Domini, secundo anno regni mei, quod mihi Deus concessit.

*Subscriptiones.* — « Ego Kenedrip abbas, cum charissimis cognatis meis Ethelbard et Cellfed, hanc libertatem hic ascriptam Kinelmo concedendo subscribo, hac ratione, ut si etiam post tempus contigerit, quod venerabilis loci Glastoniensis possessionem et potestatem alterius progeniei homo suscipiat, tamen, Kinelmus et ejus successores stabiliter sine ulla perturbatione et fiducialiter permaneant in sua libertate et perpetua pace.

« Ad confirmandam vero hanc libertatis potestatem, ego Cenwlf rex signum sanctæ Crucis impressi.

« Subscriperunt Ethelardus Cantuariae et Ilbertus Eboraci archiepiscopi, et ix episcopi, et xiii abbates, inter quos Beadulf abbas ejusdem loci, et sex principes. » Quis Kinelmus iste fuerit, cui rex Cenwlf tantam libertatem indulxit, ambigo; nam, quamvis filius ejus Kenelmus dictus sit, qui vix septennis post patris obitum interemptus est dolo sororis, non putandum est esse iste, praesertim cum secundo anno regni Cenwlf hæc libertas data fuerit, et ipse xxiv annis regnaverit, sed nos his dimissis cœpta prosequamur.

*De Cuman abbe et Egberto rege.*

Anno 800 successit Cuman abbas, qui ei Glastoniæ præfuit ii annis.

Anno Incarnationis 802, Egbertus rex Westsaxonum, ad ecclesiam Glastoniæ, et ad usum monachorum, dedit v manentium possessionem, secus flumen quod dicitur Toric, ob petitionem Mucan abbatis. Edgisilius dedit Budecleg xx hidias, assensu regis Egberti.

Anno Incarnationis 824 Guthlac abbas dedit Canulfo unius cassati portionem in Brumham, pretio quingentorum solidorum, ducentorum abbatii, trecentorum monachis.

*De Elmund abbe et Æthelwifo rege,* qui decimam partem terrarum suarum dedit ecclesiæ.

Anno 851, Elmund abbas, Æthelwifo rege annuente, Dulting in jus monastiale transtulit, cui etiam rex præfatus Alhano episcopo consentiente, xx hidias addidit, ad supplementum vitæ regularis Idem rex decimam terrarum suarum ecclesiæ sui regni legitur pie contulisse. Quo tempore monasterio Glastoniæ dedit Offaculum xxiv hidias, Bocland v hidias, Pennard ix hidias, Occenesfeld, Scearamton vi hidias, Powg decem hidias, Pyrinton, Logleres-beorgum, Occemund et Bedul, Branuc, Duneald. Æthelstanus comes dedit Clutton x hidias, assensu ejusdem Æthelwifo regis. Chartulam hanc præfæcæ hereditatis suæ, præfatus comes cum corpore suo commendavit ad monasterium Glastoniæ, obsecrans in nomine Jesu Christi, ut fratres illius monasterii nonquain ipsam linquant. Ænulfus comes dedit Dicespite, et Lotteshan xxx hidias, assensu regis

Æthelwifo, et Hombaperton, et Beangean Hangra. Ethelredus rex filius Æthelwifo dedit Winterburn xxv hidias Wifere comiti, quas ipse postea Glastoniæ contulit.

Anno 867 Athelbald filius Æthelwifo regis dedit Herefertho abbati, xiv annis præsidenti, Brasenmuster x hidias, ad capturam Isiciorum, ad ecclesiæ vetustam beatæ Dei Genitricis Mariæ, et ad usum monachorum in Glastingensi monasterio; quo tempore rex Alfredus frater Athelhaldi filius Æthelwifo dedit Glastoniæ lignum Domini, quod ei papa Martinus dedit.

*De Ethelstano rege.*

Anno 916 Ethelstan rex dedit Mertesburg Alhelmo duci x hidias, quas ipse postea contulit Glastoniæ.

Wilhelm archiepiscopus dedit Devereux xx hidias, assensu ejusdem regis. Offricus dedit Werdeverel hoc est Munecaton x hidias.

*De Winterburn, Wrington.*

Ælfleda regina Edvardi regis dedit Winterburnæ x hidias.

Ethelstanus dux dedit Wrington xx hidias, a rege Ethelstano sibi collatas. Quam possessionem idem dux, conversus et factus monachus, ad monasterium Glastoniæ secundum obtulit. Idem insuper dedit Weston, quæ nunc Foxcote dicitur, v scilicet hidias. Dedit etiam Lin vi hidias. Ulla vidua dedit Stocka v hidias. Praefuit autem Glastoniæ tunc temporis Elfricus abbas xiv annis. Prædicta igitur omnia per ministros regis Ethelstani Glastoniæ collata, ejusdem regis ascribuntur munificentia, et prius ejus in Glastoniæ affectum famulorum loquitor liberalitas, quorum devotione frequenter inclinatur, quo dominorum animum viderint inardescere. Quæ idem rex vetustæ ecclesiæ in Glastonia devote confirmans scilicet lxxxvi hidias, multasque adjiciens præcelentes innumerandas reliquias, prout in textu sancti Dunstani annotatum est, Glastoniæ conferat.

*De Steward.*

Anno 991 successit Stiward. Hujus mores a nomine non discedisse picturæ testantur, semper cum in omni imagine sua cum flagello vel scopa representantes.

Anno Dominicæ Incarnationis 922, Edvardus reddidit Aldhuno abbati Cumton.

*De sancto Dunstano abbe.*

Puto palam esse, quantum a veritate ille longe fuit, qui beatum Dunstanum primum abbatem Glastoniæ suisse deliravit; sed quia ex antiquitatis gurgite rerum notitiam eliquavimus, et quasi ex ignorantia tenebris in lucidiora tempora evasimus, nunc liberiore otio in his spatiabimur, quæ tempore beati viri, qui Glastoniæ xxii annis regebat, monasterio collata noscuntur. Prima itaque, diebus ejus, liberalitatis palmarum præripuit Edmundus frater Ethelstanus, qui etiam, ut ante dictum est, divinæ mensis consilio eum ibidem abbatem constituerat. Is, anno Dominicæ Incarnationis 940, dedit Dunstano Cristemulfard xx hidias, Hingestan viii hidias Wudetur v hidias, Watelus iv hidias, reddidit Wrigton xx hidias, dedit etiam Pakescirkean xxx hidias, Escford cum

captura piscium et dimidium hidæ. Ejus uxor Epelfleda, ejus jussu Domham cum Mertone et Pendrigton c hidas dedit, Stane xiiii hidæ. Hæc, inquit, pro abstersione piaculorum meorum, et Alfredi avi mei, et Edwardi patris mei, consero ad ecclesiam vestitam Beatae Dei Genitricis in monte Glestigenensi. »

*De Acsord, Bocland, Plis et Hamedone.*

Alfreda vidua Edvardi regina dedit Acsord, Bocland, et Plis xxvii hidæ, Hamedene xv hidæ, assensu regis Edmundi. Wilfridus minister dieti regis, assensu ejusdem, dedit Hington xxx hidæ, et Girlington x hidæ, et ad Furnanwrthe v hidæ. Idem Wilfridus dedit post obitum conjugis suæ Gretelington xxx hidæ, et Netelington xx hidæ. Quod tamen successor ejus Ælwinus, datus chartulis, assumpto habitu regulari complevit. Item præfatus rex Edmundus dederat eidem Wilfrico Tintanhulle v hidæ, quas idem Wilfricus postea cum corpore suo Glastoniæ commendavit. Sigewlfus dedit Abbedesburgh v hidæ, assensu regis Edmundi: Welfeh dedit Langeford ii hidæ. Hæc omnes terræ, videlicet ccclviii et dimidium hidæ, ab Edmundo rege et suis ministris collatae, ejusdem regis et suorum in Glastoniæ monasterium, et protectorem ejus Dunstanum gloriissimum, miram testantur devotionem. Idem etiam rex, quo dictum locum donis insigniret majoribus, multas reliquias, quæ per terram Northaniæ brorum, aut etiam in partibus transmarinis, perquisierat, Glastoniæ pia contulit liberalitate, quas in veteribus libris adnotatas reperies; cui etiam corpus proprium post decessum suum, loci alleius sanctitudine, devovit: ubi et requiescit usque in hodiernum diem; dedit et hujus privilegium:

*Privilegium Edmundi regis.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi, ego Edmundus rex Anglorum, cælerarumque in circuitu gentium persistentium gubernator et rector, cum consilio et consensu optimatum meorum, pro æterna retributionis spe, et relaxatione peccaminum meorum, concedo ecclesiae Sanctæ Dei Genitricis Marizæ Glastoniæ, et venerabili viro Dunstano, quem ibidem abbatem constitui, libertatem et potestatem, jura et consuetudines, et omnes forisfacturas omnium terrarum suarum, Burgebrice Humdred, Socna, Athas, Ordelas, Infangenethosas, Hamscore, Trithbrice, Foresteall, et Toll et Feam, in omni regno meo. Et sint terræ suæ liberæ, et solutæ ab omni calunニア, sicut mee mihi habentur. Sed præcipue ipsa villa Glastoniæ, in qua celeberrima vetusta ecclesia sita est, præ ceteris sit liberior cum terminis suis. Abbatu ejusdem loci tantummodo potestas sit tam in notis causis quam in ignorantis, in modicis et in magnis, et in his etiam quæque super et subtilis terram, in aridis et in rivis, in silvis et planis, et cædem auctoritatem puniendi aut dimittendi delinquentium in ea commissa habeat quam mea curia, quemadmodum mei antecessores concesserunt, et statuendo firmaverunt. Vide-

A licet Edwardus pater meus, et Elfredus pater ejus, et Centuwines, Ines, Cuthredus, et alii quam plures, qui locum illum honorantes gloriosum habuerunt, et apostolica auctoritate roboraverunt, quibuscum omni alacritate consentio. Et ne quisquam mortaliū, seu episcopus, aut dux, vel quislibet minister eorum, audeat eam temere intrare, causa placitandi, vel rapiendi, vel quidpiam faciendi, quod contrarium possit esse inibi Deo servientibus, Dei interdictione prohibeo. Quisquis igitur benevolamente meam donationem ampliare, et privilegi dignitatem servare satagerit, in hoc præsenti seculo vita illius prospera sit, et longiturnæ vitæ gaudia teneat. Si quis autem propria temeritate violenter invadere tentaverit, sciat se procul dubio ante tribunal districti Judicis titubantem tremebundumque rationem redditurum, nisi prius digna satisfactione mendare maluerit. Acta est autem hujus privilegi pagina, anno Dominicæ Incarnationis 944, indictione ii. »

B Scriptaque est litteris aureis in libro Evangelii, quam eidem ecclesie obtulit, opere satis eleganti composito. Hactenus de Edmundo, qui, sicut plusquam semel in hoc opusculo dixi, jacet Glastoniæ, ad sinistram, in turri majoris ecclesie.

*De Edredo rege Anglorum.*

Anno 954 dicit Edredus rex frater Edmundi pretio quinquaginta solidorum auri Baddebari xxvi hidæ, et juxta oppidum Twinam, id est Cristescirce, i hidam et capturam piscium: dedit etiam Ternuc et Stapelwilt, et partem Dennuni, et Elenberwe. Reddidit insuper Pukelescirke, et Bulting pridem alienatas, aut aliqua tyrannide, seu incuria prælatorum. Idem etiam dedit Wilfrico ministro suo hortorum x hidæ, quas ipse, consensu domini sui, post obitum suum Glastoniæ delegavit. Sed Elwinus successor in hereditate, ibidem regulari suscepto habitu, alterius votum duxit ad effectum. Alfred dedit Came-larton v hidæ, assensu regis Edredi.

*De Edwio rege.*

Anno 956 Edwi filius Edmundi, acto in exsilium patre Dunstano, pseudo abbatu Elsio, quem Glastoniæ intruserat, dedit Pagenebcorth i hidam, ab omni servitio liberam. Idem dedit Blakesford iii hidæ Elsegus minister ejusdem assensu suo dedit Cranmere xii hidæ. Ezericus, assensu ejusdem regis, dedit Widecumbe vi hidæ. Ælwinus miles dedit unam partem de Sturton. Brihtricus Giffelton v hidæ, assensu ejusdem regis. Chartulam hanc præfatae hereditatis Brihtricus cum corpore suo ad monasterium Glastoniæ commendavit, obsecrans in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut fratres illius monasterii nunquam illam linquant, Buhcere dedit Widangere, assensu Edwi regis Domini sui.

*De Edgaro rege.*

Post enumerationem anteriorum abbatum, et largitione regum, tandem ad felicissima Edgari tempora venimus. Quæ ideo felicissima dixerim, quia et angelorum nuntiante tripudio, et beati Patris Dunstani in archiepiscoporum sublimatione,

proindeque omnis boni copia floruerit. Quæ paulo latius prosequamur. De ipso beatus Dunstanus, in ecclesia Beatæ Mariæ Glastoniæ colestibus studiis invigilans, in hora nativitatis ejusdem, vocem cœlitus intonantem audivit: « Pax Anglorum ecclesiæ. » Exorti nunc pueri et Dunstani; nostri tempore, cujus oraculi veritatem, ut alibi digestum est, rerum exitus comprobavit. Idem, regni suscepto regimine, Dunstanum per Edvium exilio damnatum cum gloria revocavit, et magna optimatum ambitione primo in episcopum Wigorniæ, secundo in episcopum Sandoniæ, tertio in primatorem Cantuaricæ promovit; regni quidem curas rex optime administrans, Ecclesiæ pacem non negligebat. Nullus vero unquam regum Anglorum poterit certare laudibus Edgari, quorum ipse omnium, et pace quietior, et divitiis exuberantior, et pietate in Deum prior fuit. Non autem quiete temporum abutebatur, ut quidam, qui pacis indulxæ rapientes in suos usus occasione, vel supinabantur illecebris, vel montes auri congerentes, incumbunt divitiis. Quin potius frequentibus doctoris sui et patroni stimulatus monitis, quasi æmulo devotionis officio, Dei respondebat gratiæ, tum per se, tum per suos, monasteriorum utilitatibus propiciens, quorum Glastoniense maximo præ cæteris dignatus amore, optimatum patricti consilio tali honoravit privilegio, ut nunquam ibi abbas nisi ejusdem loci monachus esset, si ullo modo aptus vel etiam congregationis infimus inveniri posset. Sin vero extrema indigena- ruin penuria alterius monachum loci postularet, is promoveretur, in quo Glastoniensis congregationis unanimitas conveniret. Porro abbas et ipse a quilibet episcopo benedictionem susciperet, et monachos clericosve suos benefici juberet; et suorum servientium commissa sine præjudicio episcopi, vel ministeriorum regis, incunct. fieri coiceret: nec ullus omnino insulam nativitatis suaæ consciam, sive episcopus, sive dux, aut princeps, aut cuiuscunque ordinis alias intraret, causa placitandi, vel quidpiam faciendi [et infra] sicut et prædecessores sui sanxerunt, scilicet Kenwines, Ines, Achelardus, Cuthredus, Alfredus, Edwardus, Ethelstanus, et Edmundus. Hoc donum, ne instabile vel inglorium esset, lituo eburneo, quem liuibus auri prætexebat, super altare confirmavit. Lituum sane, se præsente, per medium sectum fida custodia asservari jussit, ut et testimonio in posterum proficeret, et cupiditatem raptorum incisionis damno frenaret. Dedit etiam aliud privilegium in hæc verba:

*Privilegium Edgari regis.*

« In nomine Domini nostri Jesu Christi. Quamvis decreta pontificum et verba sacerdotum, velut fundamenta montium, inconclusis ligaminibus fixa sint, tamen plerumque tempestatibus et turbinibus sæcularium rerum, religio sanctæ Ecclesiæ maculis reproborum dissipatur ac rumpitur. Idcirco profuturum succendentibus posteris esse decrevimus, ut ea, quæ salubri consilio et communī assensu diffiniuntur, nostris litteris roborata firmentur.

A Quapropter dignum videtur ut ecclesia Beatissima Dei Genitricis semperque virginis Mariæ Glastoniæ, sicut ex antiquo principalem in regno meo obtinet dignitatem, ita speciali quadam et singulari privilegi libratate per nos honoretur. Hoc itaque, Dunstano Dorobernensi, atque Oswaldo, Eboracensi archiepiscopus adhortantibus, consentiente eliam et annuento Brithalm Fontanensi episcopo, ceterisque episcopis et abbatibus et primatibus, ego Edgar divina dispositione rex Anglorum, ceterorumque gentium in circuitu persistentium gubernator et rector, in nomine aliae Trinitatis, pro anima patris mei, qui ibi requiescit, et antecessorum meorum, presenti privilegio decerno, statuo, et confirmo, ut predictum monasterium, omnisque possessio ejus, ab omni tributo fiscalium negotiorum, nunc et in perpetuum, libera et quieta permaneant, et habeant Socam et Sacam on Stronde, et on Streame, et on Unde, et on Felde, on Grilbrice, on Burgbrice, Il hundred, Setena, Adas, et Ordelas, Calle, Hårdas, Busam, Corderam, et Re-neorderam, Insangenepeof, Outsangeneheof, Flemene, Ferdere, Hamsocne, Friderbrice, Forteal, Toll, et Team, ita libere et quiete, sicut ego habeo in toto regno meo, eamdem quoque libertatem et potestatem quam ego in curia mea habeo, tam in dimittendo quam in puniendo, et in quibuslibet omnino negotiis, abbas et monachi præfati monasterii in sua curia habeant. Si autem abbas vel quilibet monachus loci illius latronem, qui ad suspendium vel ad quodlibet mortis periculum ducitur, in itinere obviam habuerit, potestatem habeant eripiendi eum ab imminentib[us] periculo in toto regno meo. Confirmo eliam et corroboro, ut quod bactenus ab omnibus nostris antecessoribus diligenter observatum est, Fontanensis episcopus, vel ejus ministri, super hoc monasterium, vel super parochiales ejusdem ecclesias, videlicet Stret, Miricling, Budeclega, Sapanix, Sowy, aut super earum capellas, nec etiam super eas quæ in insulis continentur, scilicet Bekeria, quæ parva Hibernia dicitur, Gadeneia, Martenseia, Ferramere, Papeneberga, et Adredesera, nullam potestatem omnino habeant tantam, cum ab abbatte, causa dedicandi vel ordinandi, advocati fuerint, nec eorum presbyteros ad synodus suam, vel capitulum, vel ad quodlibet plenum convocent, nec ab officio divino suspendeant, et omnino nullum jus in eos exercere præsumant. Monachos suos et prædictarum ecclesiarum clericos secundum antiquam Ecclesiæ Glastoniensis consuetudinem, et apostolicam auctoritatem, archipræsulis Dunstani et omnium episcoporum regni mei assensu, abbas a quoque conprovinciali episcopo voluerit ordinari faciat, dedicationes vero ecclesiarum, si ab abbate rogatu fuerit, Fontanensi episcopo permittimus. In Pascha quoque chrisma sanctificationis et oleum a Fontanensi episcopo ex more accipiat, et per præfatas ecclesias suas distribuat. Hoc super omnia Dei interdictione et nostra auctoritate, salva tamen sanctæ Romanæ Ecclesiæ et Dorobernensis dignitate,

prohibeo, ne persona cuiuscunque potestatis, sive rex, sive episcopus, sive dux, aut princeps, vel quilibet ministrorum eorum Glastonie terminos vel supradictarum parochiarum, perscrutandi, rapiendi, placitandi gratia vel quidquam aliud faciendi, quod contrarium possit esse ibidem Deo servientibus, intrare presumant: abbe tantummodo et conveniunt potestas sit, tam in notis causis quam in ignorantis, in modicis et in magnis, et in omnibus omnino negotiis, sicut supra memoravimus. Quisquis autem hujus privilegii mei dignitatem qualicunque occasione, cuiuscunque dignitatis, cuiuscunque ordinis, cuiuscunque professionis pervertere, vel in irritum deducere, sacrilega presumptione a modo tentaverit, sciat se procul dubio ante districtum judicem titubantem tremebundumque rationem redditurum, nisi prius digna satisfactione emendare studuerit. Acta est haec privilegii pagina et confirmata apud Londonium, communi consilio omnium primatum meorum, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 971, inductione, xiv.

Hujus doni constipulatores fuerunt, quorum nomina inferius caraxari videntur.

« Ego Edgar rex totius Britanniae prefatam libertatem cum sigillo sanctae Crucis confirmavi.

« Ego Ailsgiva ejusdem regis mater cum gaudio consensi.

« Ego Edward Clito patris mei donum cum triumpho sanctae crucis impressi.

« Ego Kinadlus rex Albanie acquievi.

« Ego Maccusius archipirita confortavi.

« Item ego Dunstanus Dorobernensis archiepiscopus, Oswal Eboracensis primas, Athelwol Winthonie episcopus, Buribthelin Fontanensis episcopus, hujus et multi alii, quorum nomina alibi adnotantur, consentientes, et confirmantes signum crucis impresserunt.

Ad supplementum vero securitatis, ne tanta liberalitas mutaret, Joanne tunc temporis octavo ejus nominis papa persuaso, donum suum apostolico cussulsi edicto, cuius haec est series.

#### *Privilegium Joannis papæ.*

« Noverit cunctorum notitia fidelium, quod ego Joannes, pili Conditoris clementia Sanctæ Romanæ sedis existens indignus papa, gloriosi Anglorum regis Edgari, nec non et sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ archipræsulis Dunstani, submisso rogatus sum pulsatu, pro monasterio Sanctæ Mariæ Glastinembiry, quod ipsi acti amore supremi regis in melius restaurarunt, et monachorum ibi majorem numerum aggregantes, normani que arciorem instiuentes, præcepto regali firmaverunt, ut et ipse idem facere non differam. Quorum assentiens benignæ petitioni, in sinum Romanæ Ecclesiæ et Beatorum Apostolorum protectionem euudem locum suscipio, et privilegiis astruo et corroboro, quo sine tenus in eo, quo nunc pollet permaneat monachili ordine, Ipsique monachi de suis sibi adhibeant pastorem, et se suosque, quos idoneos judicaverint, quoeverunque in Dorobernensi diœcesi placuerit, ad

A ordinandum dirigant. Decernimus etiam ut nulli omnino hominum eamdem insulam, placitandi causa, vel aliquid aliud ibi perscrutandi, aut corrigendi, intrare licant: si quis autem huic rei molitus fuerit contraire, aut possessiones ejusdem ecclesiæ auferre, retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ex auctoritate Patris et Filii et Spiritus sancti, sanctaque Dei Genitricis Mariæ, sanctique Petri apostoli, omniumque sanctorum, perpetuae sit ad dictus maledictioni, nisi resipuerit, omnibus autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi; nostra autem astipulatio inconvulsa permaneat. Actum tempore Egelwardi, ejusdem monasterii abbatis, hoc apostolicum decretum, anno Incarnationis Domini 965. »

B Idem papa in generali concilio Romæ promulgans ratum fuit, regique sua ibidem auctoritate communicandum direxit. Applausit pontificali facto regalis assensus, et frequenti in Londonia curia anno regni sui xii, omnium optimatum consensui, rem æternæ stabilitati magna devotione transgressorum mancipavit. Ipse quoad vixit voti seipsum compotem fecit, et vestigia paterna avitaque insecurus, decori eorum et gloriae suæ non desuit, et alias ad idem animavit, sicut progrediens serino propalabit.

*De rebus collatis Glastoniæ per Edgarum, Dundene, Hamme et Wethul.*

Anno Incarnationis Domini 963, Ego Edgarus, sola misericordi clementia Dei roboratus rex, ob remunerationem majoris præmii, ad Ecclesiam Beatæ et intemeratae Virginis Mariæ, in loco celebri nuncupato Glastingabiry, ad usum monachorum regulariter Deo servientium sub abbe Egelwardo, dedi Sture xxx hidæ, Merkesbiry reddidi x hidæ, Midleton dedi ii hidæ, Blakesford vi hidæ.

Anno 965, ego Edgardus Sigegaro abbati, jure perpetuo, ad ecclesiam vetustam honorabilem, pro remedio animæ meæ, et pro anima patris mei, confero Hamme xvii hidæ, Dundene x hidæ, Petehulle iii hidæ.

#### *De Westburi et Othelee.*

Ejus etiam tempore dedit Alfara dux Westburi xl hidæ, et Othelee v hidæ. Chartulam hanc prefata hereditatis ego Alfara dux, pro remedio animæ meæ, et Edgari regis, commendavi ad monasterium Glastoniæ, obsecrans in nomine Jesu Christi, ut fratres illius monasterii nunquam illam linquant. Alwine dedit Gritelington xxv hidæ. Netelcumbe xx hidæ, et sic complevit votum Wilfrici primi donatoris. Aelfare Ealderman Batancumbe, dedit xx hidæ, Ealdred dedit Clisan xi hidæ: hanc ruralem possessionem, et prædictam Clisan, Ealdred commendavit ad ecclesiam Beate Dei genitricis Mariæ, et sancto Patricio, sub testimonio regis Edgari, optimatumque suorum. Aelthelm dedit Dureberge ii hidæ, Alseah Crancineræ x hidæ, Aedelsleda Handon xv hidæ. Alswit regina Winescumbe xv hidæ, Feimeton x, Strettun vi, Tintanhusse v, Aewerdesie dimidium hidæ, et ornamenta, Stolam cum manipulo, casulam incomparabilem. Hedred

dedit Mildenebe xv hidas. Essebur xl hidas, Brusige dedit; Healtone v hidas. Omnes has terras Edgarus venerabilis ecclesiae in Glastingeburg regia confirmavit auctoritate, scilicet ccxv hidas.

Fecit præterea crucem supra maius altare, contextum undique auro et argento, et majora signa, vestem etiam regalem, in qua fuerat coronatus, pretiosissimam contulit, ut altaris eederet ornamento. Scrinium magnum argento et auro cooperatum, cum imaginibus ex ebore decenter intersertis, continens reliquias sancti Vincentii, et caput sancti Apollinaris dedit, in quo et ipse nunc requiescit: multas insuper reliquias, quas per universas terras a se peragratas acquisivit, cum reliquiis duorum innocentium de Bethleem translatis Glastoniensi monasterio, cum quali decebat reverentia commendavit.

Hactenus de temporibus Edgari, cujus merita nulla unquam tacebunt tempora, quippe qui virtutibus famam vicerit, et vix xxxii annis, quibus vixit, facta sæculorum incluserit. Sepultus est, ut prædictus, in capitulo ad ostium ecclesie, sed qualiter inde translatus sit, in consequentibus liquebit.

#### *De Egelredo rege.*

Eius filius Egelredus dedit Figegaro abbati, qui annis xxvii præfuit, Astancti vi hidas, Siteberge i. Pukelescire reddidit xxx. In Piltone unam mansam emptam xl mansis auri, anno 884. Idem dedit Hanandune. Anno 1000 Incarnationis, dedit Egelred rex Berredo abbati, qui et xvi annis præfuit, Fiscwere, Alwine, Estun xx hidas.

#### *De Brithwio abate.*

Anno 1017, Brithwius abbas constitutus fecit tabulam ante altare, auro et argento et ebore polimatum, et crucem; hic, post deceni annos suscepti regiminis, in episcopum Wellensem est electus.]

#### *De Cnutone.*

Eodem fere tempore Cnuto rex Danorum Angliam hostiliter pervagabatur, quem licet Edmundus filius Egelredi aliquantis bellis contulisset, postremo tam ictio fædere, fraterna inter eos pax convenit; videlicet ut Cnutoni Mercia, Edmundo Westsaxonia remaneret. At vero non multo post Edmundus, Iethali tactus incomodo, ad extrema devenit, et Glastoniensi monasterio Newton Kastel xvii hidas cum corpore suo in extremis delegans, ibidem ante maius altare sepulturam accepit. Quo cum Cnuto, viae occasione, in festo Sancti Andreæ venisset, pia querela fraternalis manes honorans, super sepulcrum ejus pallium misit, versicoloribus penitus pavonum, ut videtur, intextum, contulit et privilegium in hac verba:

#### *Privilegium Cnutorum.*

Regnante in perpetuum Domino, qui sua inefabilis potentia omnia disponit atque gubernat, vicesque temporum hominumque mirabiliter discernens, terminumque incertum, prout vult, æquanimiter imponens, etiam de secretis naturæ mysteriis misericorditer docet, ut de fugitivis et sine dubio transitoris mansura regna Dei suffragio adipiscenda sunt. Quapropter ego Cnuto rex Anglorum, cætera-

A rumque gentium in circuitu persistentium gubernator et rector, cum consilio et decreto Helvoti, simulque cunctorum Dei sacerdotum, et consensu optimatum meorum, ob amorem coelestis regni, et peccaminum meorum remissionem, et anima fratri mei regis Edmundi, concedo ecclesiae Sanctæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ Glastoniæ, jura et consuetudines in omni regno meo, et omnes foris factiuns omnium terrarum suarum, et cuncte terræ ejus sibi liberæ et solitæ ab omnibus calunnia et inquietatione, sicuti meæ mihi habenter. Verum illud præcipue, ex omnipotenti Patris et Filii et Spiritus sancti auctoritate, et perpetua virginis interdictione prohibeo, et universis regni mei præpositis et primatibus supra suam salutem præcipio, ut nullus omnino illam insulam intrare audeat, cuiuscunque ordinis sit, aut dignitatis. Sed omnia, tam in ecclesiasticis, quam in secularibus causis, tantummodo abbatis judicium et conventus exspectent, sicuti prædecessores mei sauxerunt, et privilegiis confirmaverunt, Kenuines, Ioes, Cuthredus, Elfredus, Edvardus, Edmundus, et incomparabilis Edgarus. Si quis autem, quovis deinceps tempore, sub aliqua occasione interrumperet, aut irritum facere bujus privilegii testimonium nisus fuerit, sit a consortio piorum ultimi examinius ventilabro disperitus. Si quis vero benevoli intentione hæc facere, probare, et defensare studuerit, Beatisimæ Dei Genitricis Mariæ, et omnium sanctorum C intercessione, amplificet Deus portionem ejus in terra viventium. Scripta est bujus privilegii donatio, et promulgata in lignea basilica, sub praesentia regis Cunonis, anno ab Incarnatione Domini 1032. ]

#### *De Egelwardo abate.*

Anno 1027 Egelwardus successit, xxvi annis Glastoniæ occupans; cui Hardeonut dedit scrinium, in quo nunc beati Benigni corpus requiescit.

#### *De Egelnote abate, et de Translatione Edgari regis.*

Anno 1055 Egelnorth, amborum regimen fuit perniciosum Ecclesie, dum alter exterius terras proscriptis, alter interius ornamenta distraxit. Ex illo res Glastoniæ retro relabi, et in pejus fuisse. Denique creditum est nonnullam loco immixtissime vindictam, propter Egelwardi audaciam in regem Edgarum commissam. Nam cum bono fortasse mentis proposito, post xl annos obitus sui, effodisset tumulum, invenit corpus nullius labis conscientium, sed solida integritate compactum; quod cum eum ad reverentiam debuisset inflectere, ad audaciam levavit. Nam quia locellus, quem paraverat, difficilem pro magnitudine corporis minabatur ingressum, regales exuvias ferro temeravit, ausus facinus auditu, nedum actu, grave. Unde continuo sanguis undatim emicans, astantum corda pavore concussit, vultus pallore infecit. Ita regis ossa in scrinio super altare locata sunt, cum capite sancti Apollinaris, et reliquiis beati Vincentii martyris, quæ ille magno empta decori domus Dei adi-

cerat. Temeratorem porro sacri corporis animus reliquit, nec multo post ecclesiam egressum fracta cervice mors invenit. In sepulcro autem regis positus est Egelwardus, qui beato Dunstano in regimine Glastoniæ primus successit. Nec in his hæsit regiae sanctitatis ostensio, sed in alijs processit; sanatis ibi furioso et cæco: furiosus Teutonicus genus multis indicis datis quod mente non constaret, civium in se armaverat manus, ut eam vincire ferro non dubitarent, circumferebat miserandus sua ipse supplicia, poenarum propriarum idem judex et auctor. Nescias miserior an misericordior, vel quod animo captivus, vel quod corpore gravatus erat. Ita multas pluribus annis provincias emersus, frustra consumpsit tempora, nisi quod continuatio itineris erat accessus laboris. Tandem vero divinæ miserationis intuitu visitatus, oraculum per noctem accepit, ut Glastoniam pergeret, futurum ut meritis regis Edgari utroque levaretur in commodo. Venit ergo, et convenientem responso effectum sortitus est, nam dum oraret in eadem quidem domo, sed longiuscule a sepulcro, omnis ferri nexus dissiluit, et quasi quodam turbine actus supra mausoleum cecidit; cæcus præterea provincie notissimus, dum importunus pro salute ad tunibam excubias prætendit lucem reperit.

*De archiepiscopis, et episcopis, de conventu Glastoniæ electis.*

Et quia jam ad tempora Normannorum venimus, et abbatum post illud tempus nota sunt et facta et nomina, his paulisper omissis ponam illorum vocabula, qui episcopi et archiepiscopi fuerant alias electi de illa ecclesia. Splendidum nimurum exemplum Glastoniæ et auctoritatis et gratiæ quæ non solum sibi, sed etiam aliis ecclesiis sufficerint tot illustres personæ. Nec vero policeor, quod de omnibus possim episcopatum loca expedire, nisi quantum in chronicis inveni, quod ille vel ille episcopus obierit monachus hujus loci. Adeo longiorum temporum fluxere curricula, quam ut illa ullius hominis possit investigare memoria.

Nunc de archiepiscopis Berthwaldus, ex abbate quondam Glastoniæ archiepiscopus Cantuarie. Adthelinus prius Wellensis episcopus, deinde archiepiscopus Cantuarie fuit.

Dunstanus, cuius industria restoruit ecclesia, hic fecit organa et signa duo præcipua, pallium unum, campanam in refectorio, ubi sunt hi versus:

Hanc sibi campanam Dunstan perfundere jussit, etc.

In urceolo altaris:

Hydiolam hanc fundi Dunstan mandaterat archi-  
Præsul, Cunctipotens quem solvet in ærum.

Hic ex monacho et abbe Glastoniæ factus est episcopus Wigornensis, postea Londoniensis, postremo archiepiscopus Cantuariensis.

Egelgarus de monacho Glastoniæ factus est primus abbas novi monasterii, Wintonie scilicet de Hida. Deinde episcopus Cicestriæ, postremum archiepiscopus Cantuariæ.

A Sigericus ex monacho Glastoniæ fuit episcopus Wellensis, postea archiepiscopus Cantuarie, tertio loco post Dunstanum. Hic dedit vii pallia Glastoniæ cum aliis leonibus, de quibus vetus Ecclesia in anniversario ejus tota ornatur.

Alphegus ex monacho et priore Glastoniæ, Bathoniæ abbas, postea episcopus Wintoniensis, postea archiepiscopus Cantuariensis.

Enotus ex monacho Glastoniæ factus est archiepiscopus Cantuarie, de quo sermo præcessit. Qui cum a Dunstone baptizetur, erectam manum tenuerit more episcopi benedicentis populum, unde Dunstanus eum, sicut ipsius divinitatis conscius, archiepiscopum fore prædictus. Fuit autem tempore Cnutonis archiepiscopus, cujus etiam solatio et jussu transtulit martyrem Elphegum Cantiam, de loco quietis apud Londoniam. Hic dedit Rabanum De laude crucis, et librum orationum auro pictum.

#### *De episcopis.*

Anno Incarnationis Domini 782 obiit Canfridus episcopus, monachus Glastoniæ.

Anno 782 obiit Ethelwonus episcopus, monachus Glastoniæ.

Anno 800 obiit Wibertus episcopus, monachus Glastoniæ.

Anno 836 obiit Wigthegen episcopus, monachus Glastoniæ.

Anno 842 obiit Albstan episcopus, monachus Glastoniæ.

Anno 876 obiit Tumbert episc. mon. Glast.

Anno 936 obiit Daniel episc. mon. Glast.

Anno 988 obiit Elfricus episcop. abbas Glaston. Qui sequuntur fuerunt episcopi tempore Edgari regis in diversis locis. Quarto papæ Julii [anno] obiit Sigegarus Wellensis episcopus abbas Glastoniæ.

Hic jacere fertur sub sancto Benigno. Idus Maii obiit Britelmus episcopus Willensis, monachus Glastoniæ. Idus Februarii obiit Alfuoldus Cridiensis episcopus, monachus Glastoniæ. Nonas Aprilis obiit Sigefridus Norwegensis episcopus, monachus Glastoniæ. Hic misit quatuor cappas, n cum iconibus, et n croceas. Kalend. Augusti obiit Aethelwoldus episcopus Winton, monachus et prior Glastoniæ et abbas Abberdon. Idus Januarii obiit Wilmus episcopus, monachus Glastoniæ. Idus Februarii obiit Aelstanius episc., monach. Glast. viii Idus Maii obiit Egelricus episcopus, monachus Glast. iv Kalend. Juli obiit Kenewaldus episcopus, monachus Glast. iii Nonas Apr. obiit Almer episcopus, monachus Glastoniæ. xiv Kal. Aprilis obiit Livingus episcopus, monachus Glastoniæ.

Anno Incarnationis 1034 obiit Brihwius episcopus Wellensis abbas Glastoniæ. De hoc superius aliqua libavimus. Hic jacet in aquilonari portico ad Sanctum Joannem Baptistam.

#### *De Brithwoldo episcopo.*

Anno 1045 obiit Brithwoldus episcopus Salesbiensis, monachus Glast. Hic misit albam de serico

preciosissinam, cappas etiam de palliis decein auro et gemmis decenter ornatas, misit etiam superbumerale, stolam, manipulum, casulam, calices duos, unum de xx marcis argenti et iv auri, alium minori pondere, sed pretio majori, textus Evangeliorum duos. Thuribulum mira magnitudinis de auro et argento, altare pretii xx marcarum, crucem ad processionem, et alias xxv, quas cum Ægelnodus abbas cum aliis ornamentis auro et argento nudasset, in duabus xxxii marcas auri accepit. Potest ergo conjici quanta vis pecuniae fuerit in omnibus: dedit etiam collectaneum auro illuminatum, pallium auro textum, et alia ix; duo candelabra. Totam terram de Wiltsire redemit scrinia tria Sanctorum Guthlaci, Georgii, et Oswaldi in quo sunt hi versus:

*Exiguus præsul Brithwoldus onomate dictus,  
Archonti domino, nec non matrice Marie,  
Confert exignum devote pectori munus,  
Ecclesiæ veteri transmittens Glastonicum,  
Dulcia perpetuae capiat quo gaudia vitæ.*

Cappam cum albis avibus. Situs est cum Brihtwio in parte aquilonari, vir omni vita prædicandus, qui tanta contulit Ecclesiæ quanta nec adhuc prædones potuerunt vellicare, quamvis sint aliqui qui crimen inferre moliantur ejus gloriæ, dicentes quod res episcopatus dederit Glastoniæ, sed frustra in eum molares infligunt, qui nec curat laudes nec timet vituperationes, præsertim cum facta sanctorum ambigua in meliorem partem converti conveniat. Profecto vero si delinquere se nosset, nunquam illa sanctus vir fecisset. Denique fama est non obscura omnes illas terras ab antiquo fuisse Glastoniæ. Sed tempore Danorum, cum importabiles pensiones regnum gravarent, fisco regio vel alias pignori addictas sed ab episcopo redemptas et redditas. Et sicut dicunt, cum de redemptione obolus deesseset, vir magnificus annulum suum creditoribus projiciens, devotionem quam in Glastoniæ habebat, operis testabatur exhibitione.

*De possessionibus Glastoniæ datis ab Anglis ad fidem conversis.*

Jam quia possessionum largitores manus contrarerunt, libet summatim inserere quid, a quo Glastoniæ sit collatum, ant regia confirmatum auctoritate.

In primis rex Arturus tempore Britonum dedit Brentemaris, Poweldon, cum multis aliis terris in confinio sitis pro anima Ider, ut supra tactum est, quas terras per Anglos tunc paganos supervenientes ablatas iterum post eorum conversionem ad fidem restituerunt cum pluribus aliis, unde rex Domnoniæ dedit terram appellatam Yneswitherin v hidas.

Kenewalchius, seu Cedwald dedit Ferremere ii hidas, Beokeri, Godeniæ, Martenesiæ, Andrewesye.

Kenwinus rex dedit Munekaton xxiii hidas, et in Carni xx hidas, et in Crucam iii hidas.

Baldredus rex dedit Pennard vi hidas, Loggaresbeorg xvii hidas et Westwere cum captura piscium in Perel.

A Hedda episcopus dedit Lantokai (i Lege) vi hidas, Cedwalla confirmante, licet rege pagano.

Ina rex dedit Brentemareis xx hidas, Sowi xii hidas, Piltonæ xx hidas Dulting xx hidas, et juxta Famer, scilicet Linig, xx hidas, et Roualt xx hidas, et alibi cum piscaria unam hidas.

Wilfridus episcopus Wetherne lxx hidas, Ekkawerre i hidas, Fortherre episcopus Bledanbi i hidas. Buggu abbatissa Ora iii hidas, rege Ina consentiente et confirmante.

Athelardus rex dedit Poholt lx hidas, et in Torrie x hidas, Kedeswita ejusdem regina Brumantou v hidas.

Cuthredus rex dedit Ure iii hidas, domina Iula Baltenesbeorge et Scrohammurther vel Sabewrtha x hidas.

Athelbaldus rex dedit v Jeksig (gassie) et Bradlegh iv hidas.

Sigebertus rex dedit in Polhoc xii hidas.

Binewlfus rex dedit et confirmavit Wodeton, v hidas, Cumption v hidas Huneresburg.

Adthelardus ejus minister iii hidas in Cedren (Eleanbearo) et Cumbe iii hidas.

Sulca Christi ancilla dedit Culum xi hidas.

Offa rex dedit Ineswruth x hidas, Ethelmund dedit, Offa confirmante, Hinespulle juxta v hidas.

Egbertus rex dedit v hidas juxta flumen Torrie, Edgisilus, eo confirmante, Budeclege xx hidas.

C Adthelwlfus rex xxv hidas dedit, et reddidit Dulting. Dedit etiam Offaculum xxiv hidas. Bocland v hidas. Pennard ix hidas, Occenesfeld, Suaronton, vi hidas, Sowy x hidas. Periston, Legderesbeorgane, Ocemand, et Bedul, Branuc Duneford. Confirmavit etiam de dono Ethelstani Clutton x hidas; de dono Ænulfis Diceswithe, et Lottesham xxx hidas. Hornblawerton, et Beanganhangrau.

Edhelbald rex dedit Bramnucniister x hidas. Alfredus frater ejus crucem de ligno Domini.

Athelstanus rex concessit et confirmavit de dono Athelmi ducis Merkesburi x hidas, de dono Wulfelin Deverel xx hidas, de dono officii Werdeverel [i Mimicaton] x hidas. De dono Alfredi reginæ Edwardi Winterbarne x hidas. De dono Æthelstani ducis Wrington xx hidas, Weston sive Foxate x hidas, et Limi vi. De dono Uffæ viduæ Stoka v hidas.

Edmundus rex dedit Cristemalcford xv hidas. Kingeston viii hidas, Wodeton v hidas. Wathelgo x hidas. Pukeleschurice xxx hidas. Escford dimidium hidar cum captura piscium. Domerhom, Mer-tun, et Pendribi c hidas, Stane viii hidas. Confirmavit, etiam de dono Ælfledæ reginæ Edwardi, Acsford, Bocland, et Plis xxvi hidas, Hommedone xv hidas; de dono Wilfridi Kingston xix hidas, Girdlington x hidas, et ad Turnanwrthe v hidas, et Tintamhulle v hidas, de dono Alsy Batecumbe xx hidas, de dono Ethelstani comitis Melnes xx hidas, de dono Sigewlfis Abbedesbari v hidas, de dono Wilfæ Langesfore ii hidas, reddidit etiam Wrington xx hidas. Eddredus rex dedit Baddebury xxx hidas et in Cristeschurche ii hidas, et Ternuc et Stapel-

wilt, partem etiam de Nuni S. ii hidas, et de Elen-  
berwe i hidam, et reddidit Bulting. **Ælfred** dedit  
Camelarton v hidas, Eddredo confirmante, et **Ælf-**  
**gita** sanctimonialis Pengeardunster x hidas.

**Edwius** rex dedit Padenebeorge ii hidas, Blake-  
ford vi hidas, confirmavit de dono Alphegi Crane-  
mire xii hidas, de dono Eserici Widecumbe vi hi-  
das, de dono Alvini unam partem de Sturton S. viii  
hidas, de dono Brithrici Giffelton v hidas, de dono  
Brithere Widingate.

**Edgarus** rex dedit Siure xxx hidas, Midelton ii  
hidas, Lucum ii hidas, Blakeford v hidas, Hamm*e*  
xi hidas, Dandene v hidas, Wetchulle iii hidas, et  
reddidit Merkesbury. Confirmavit de dono **Ælfere**  
ducis Wstburi xl hidas, et Otherlee v hidas. De  
dono Alwine Grüttingone xxv hidas, Netelton xx B  
hidas, Horton x hidas; de dono **Ælfere** Alderman  
Badecumbe xx hidas, de dono Caldred Clifan xi  
hidas, de dono **Ælshelm** Dirambeorg ii hidas, de  
dono **Ælfeah** Cranemere x hidas, de dono Adelfled  
Hlanandon xv hidas, de dono **Ælswith** reginæ Wi-  
nescumbe xv hidas, Idemeston x, Stretton vi Adre-  
desie dimidium hidæ, de dono Edred Middlehale xv.  
Easbury xl hidas, de dono Brinsige Heaton v  
hidas.

Egedredus rex dedit Austanclif vi hidas, Stre-  
berge i hidam, et Fiscwere, et unam mansum in  
Wilton, et Hlanandon, reddidit Pukeleschun. Confir-  
mavit de dono Wlfwini Esctun xx hidas. Edmundus  
Irenside dedit Ninneton. Kastel xviii hidas.

*Item de aliis datis Glastoniae.*

Memorandum de Aldamton et aliis. Cinemeref-  
fordi, Lemucerine, Pillesdune, Portbrig, Litlanton,  
Eatumberg, Siwiamhamæ, Brentefordlande, Pen-  
descleive, Halbanleghe. Item de Elonsanige, Oce-  
mund, Ceolumwrthe, Korstone, Camel, Ruthan-  
oeorg, Peasacmere. Item de Lidenige, Lamageate,  
Hengestestshire Dilwisce, Orcirleage, Pidclan,  
Birtwillintone, Belocer, Hupavene, Easætenatone.  
Hæc maneria a diversis regibus collata suis familia-  
ribus, Glastoniae ecclesiam devenerunt, sicut per  
chartulas veteres appetet, et licet incredibilem nu-  
merum ac quantitatem terrarum uni loco spectant-  
ium hic posuerimus, omnes tamen has et multo plures,  
quas pro ambiguitate numerare nolumus, Glasto-  
niae monasterio datas fuisse non dubitamus. Nec est  
admirandum, si quædam maneria aut realiter aut  
nomine tenus a diversis legantur collata, tum quia  
nomina æquivoca sunt, tum quia multa a prioribus  
data demum ablata restituebantur, tum quia quidam  
partem manerii, alter partem ejusdem contulit et  
totum utrius fortassis scribebatur.

NOMINA ABBATUM GLASTONIAE ECCLESIAE.

An. ordin. Abb. An. regim.

*Hi de Britannia.*

460	S. Patricius
	S. Benignus
	Worgret
	Lademund
	Bregored

*Hi de Anglia*

670	Beorthualdus	x
680	Hemgesel	xxv
705	Beorualdus	vii
712	Albeorth	vii
709	Atfrith	x
709	Kemgesel	xv
743	Guban	ii
744	Ticcam	xi
746	Cuman	ii
754	Walthun	xxxii
762	Tumberthe	ix
765	Beaufl	vi
802	Muca	xxii
824	Gutlac	xxviii
840	Calmund	xvi
849	Hereferth	xiv
870	Siwerd	xi
905	Ealdhun	xxxiv
927	Æfric	xiv
940	Dunstan	xxii
962	Alwardus	x
972	Sicgarus	xxviii
1016	Beorhtred	xvi
1034	Brichtwi	x
1053	Adelward	xxvi
1084	Ægelnoth	xxix

*Hi de Normannia*

1100	Turstinus	xix
1116	Therlwinus	xix
1125	Sifridus	vi
1171	Henricus	ii
1180	Robertus	
1190	Henricus	
1210	Willelmus	iv
	Robertus	
1234	Michael.	

*Bundæ duodecim hidarun.*

Et quoniam xii hidæ Glastoniæ majori libertate  
præ cæteris terris suis sunt privilegia, expedit  
carum metas non ignorare. Sciendum igitur, quod  
in primis incipit Bratascha apud Stretebrugge, in  
capite australi ejusdem pontis, et tendit versus  
orientem, in australi parte marisci, usque ad caput  
australe pontis de Baltenesberge; in parte boreali,  
a domo Wigari cum Barba, qui fuit operator ejus-  
dem pontis, tempore sancti Dunstani abbatis. Et sie  
supra Caucetum ultra Pinueslake per medium mari-  
sci, usque ad domum Normanni, apud molendinum  
de Baltenesberg; et sic inde sursum in via usque in  
semitam, quæ venit de illa ecclesia, et postea sur-  
sum in Jeholt, usque Lupwite in orientali parte do-  
minus Hosgari ac Attaholt. Et inde in semitam, quæ  
ducit per medianum extremitatem illius Holte recta,  
usque pontem de Kineward, in fossatum sancti Dun-  
stani abbatis. Et sic in rivulum, qui venit de Cole-  
bari, et ita ascendendo contra cursum aquæ, usque  
ad domum Oswardi de la Barne. Et inde sursum  
contra la Burne, usque ad curiam Ailmeri senescalci  
Ala Brodelee. Et sic sursum de illa burna in viau

illam, quæ jacet ante curiam suam, et ita in australi parte illius ecclesiæ versus orientalem, usque Stoke in latam viam; et sic de via eadem contra montem de Witelee, in illam semitam quæ jacet in australi parte Chulebury. Demum in quadam semitam, usque ad la Windeiete. Et sic in divisas de Bikenham et Ferlege; et sic descendendo per medium parcum de Pilton, ultra viam quæ extenditur supra pontem de petra, in semitam illam quæ ducit ad Woltun, et sic in quadam semita usque ad Falebrog, et inde in Australi parte illius ecclesiæ ultra rivulum usque Loffelgeethe, et sic descendendo in moram usque ad Hochige, et inde per medium moram ultra la Sowere, usque in divisas fossati in parte boreali de Bachinwere, et sic inde in ripam, et ita in longum antiqui casus aquæ usque ad pontem de Bledesne, et sic descendendo per medium illius pontis usque ad Lithlenie, quæ est divisa de Martenesie; et sic circa eamdem insulam usque ad fossum quod est inter moram de Stoke et Withrichellam; et sic in la Wynerlake; et sic per divisas insulæ de Andredesie; et de Draicote, ascendendo contra montem usque ad la Horestone. Demum in Wiarepath; et sic descendendo usque ad superiorum Badecumbe, et sic per divisas de Ceddre usque ad la Grene Balle, et ita ad Littelakewepe. Inde ad la Ymerwivel, inde directe per medium Alneti usque ad la Hore Wglehe, et ita usque ad Mune Kenelegh. Itaque totum coopertum pertinet ad Ceddre, totum extra coopertum pertinet ad Glastoniam. C Inde usque ad quamdam tranchiam, que vocatur Bitwynenor; et sic ad la Scearpeorde: itaque totum coopertum ibidem versus orientem pertinet ad Glastoniam, et extra coopertum versus occidentem pertinet ad Ceddre. Inde ad Nottepulse. Itaque totum coopertum remanet Glastoniæ, totum planum extra coopertum remanet Ceddre. Inde usque in Glake, et ita in longum de Glake descendendo usque ad Ywere, et Gwere in longum de Abbedesdith ascendendo usque ad Sangehy. Inde et cursum magnæ aquæ, et ita in longum ipsius aquæ ascendendo contra orientem in divisas de Wethmore et de Northilade, usque ad Tunsingwere. Inde usque Kimpingmere. Inde usque ad Middelmede. Inde ultra montem usque ad Cunessam. Inde usque in la Likhlake. Deinde per medium moram usque ad divisas de Mere et de Poldane. Et sic per illas divisas versus orientem, in australi parte illius moræ, usque subtus Scerpham, et sic inde subtus Hundewode, inde versus orientem usque la Brittafebe, quam possumus primam bundam xii hidarum.

*Loca principalia infra xii hidarum.*

Loca quæ infra hos limites habentur, et eodem gaudent privilegio, subjungemus. In primis ipsa insula Glastoniæ cum canipis, silvis, pratis, ac monte ad eam spectantibus. Deinde insula de Hurty cum specioso simul et spatiose aulneto, cum pratis et pascuis uberrimis; post hoc magna pars de pascu de Pilton. Deinde Bikenham cum Stikaling: post hæc Witegh et Colebari cum toto Westpen-

A nard, campis, pratis et pascuis ad illa spectantibus. Demum la Burne et Kineard cum campis suis et pratis; postea quedam pars de Baltenesbergbe, cum campis, pratis, pascuis largis, et cum omni annuo et universis moris versus occidentem, in parte boreali, de Bodeclée, usque ad la Britasca, que est in capite australis pontis de Strete. Denum Edgarlegsi cum campis et pratis ad se spectantibus postea insula de Beokeri cum suis pertinentiis. De prominata autem Brutachda totus mariscus versus occidentem, quæ est in parte boreali de Hundswode, et de Scerpham, usque ad divisas de Poldoe et Demere usque in la Liklake. Demum insula de Mere et de Westie cum campis, pratis, boscis et moris. Denique insula de Godenie cum suis terris et moris largissimis; postea insula de Martenesie cum adjacentiis. Denum insula de Badenebeorge et Northilade cum terris, pratis, pascuis et moris, et boscis amplis ad eas spectantibus: post hæc insula de Andrewesie, ceteras situ et loci amoenitate antecellens, cum terris, boscis, pratis et moris largissimis. Hæc sic cognominatur a Sancto Andrea, cuius ibidem habetur capella, sicut et Godenæa propter capellam Sanctæ Trinitatis, et Martenesie a Sancto Martino, cuius ibidem est capella. Post supradicta est Badecumbe, juxta montem Munidop, cum omnibus terris et pascuis super eundem montem ad se pertinentibus. Hæc omnia loca infra Bundas duodecim hidarum contenta et ad Glastoniæ pertinentia, omni immunitate gaudent regie dignitatibus a temporibus antiquis; confirmatumque est ecclesiæ Glastoniæ tam a regibus Britonum quam Anglorum et Normannorum.

*De Turstino primo abate de Normannis.*

Expeditis quibusdam, gratia quorum paululum digressum est, ad ordinem historiarum redeundum. Prinus igitur abbas de Normannis fuit Turstinus, anno Incarnationis Dominicæ 1082, quam Willemus ex duce Normannia factus rex Angliæ, ibidem ex monacho Chadoniensi abbatem constituit. Idem Willemus regno suæ subjugato ditioni, quanplures ex suis commilitonibus ex Glastoniæ fendavit possessionibus. Potest igitur conjici ex his et praecedentibus, qualiter et per quos Glastoniense monasterium, quondam opulentissimum, suis sit terris pene nudatum, videlicet per Aegelwardi et Aegelredi dilapidationem, per Danorum simul et Normannorum hostilem incursionem, seu violentam oppressionem. Idem tamen Willemus rex, ut injuriam Glastoniæ prius illatam redimeret, quasdam terras quas ablatas conquerebantur, eisdem auctoritate regia confirmavit in hæc verba:

*Charta regis Wilhelmi primi.*

« Notum sit tam præsentibus quam futuris, quod ego Willemus Dei gratia rex Angliæ, visis et cognitis chartis ecclesiæ Glastoniæ, concilio eidem ecclesiæ in perpetuum, ad victimam monachorum inibi Deo servientium, pro salute animæ meæ, quasdam terras, quas calumniabantur pertinere ad præfataam ecclesiam jure hereditario, confirmo. »

Subnotantur autem terrarum nomina, videlicet, A Midelton, Folebroc, Berges, Burmington, Lim, Blakesford, Witon, teste episcopo W. Dunclunensi, et archipresule Lanfranco, et Thoma archiepiscopo, et Wakelino, et Rob. comite de Mauric, et multis aliis.

*De abbatibus Muchelnia et Athelingia.*

His igitur ad instantiam abbatis Turstini sic patratis, etiam illud prosequamur, qua efficacia vicinos abbates Muchaniensem et Ethelingensem sui juris asseruit. Nam cum eos, falsa delatione Ginsonis Wellensis episcopi, Lanfrancus archiepiscopus in generali concilio Angliae mordaciter impeteret, Muchaniensis, qui exercitatiior esset in saeculi rebus, respondit se in capitulo Glastoniæ, jussu ejusdem loci abbatis et sui responsurum: cæterum extraordianarias accusationes non timere. Ethelingensis autem joculariter eludens quæstionem, minanti archiepiscopo baculum ei auferendum: Non curo quia meliorem habeo, nec tamen istum tibi trado. Tunc iussus abbas Turstinus, ut si sibi competere sciret, causam ageret, surrexit loco sententiae dicens, egitque multa et constanti facundia, memoriter retexens privilegia regum a Kentuino et Ina regibus usque ad Edvardum, quibus allegavit in eos abbates nullam jurisdictionem aliquam nisi Glastoniensem abbatem habere, adeo ut in predictas ecclesiæ nullus debeat abbas intrare, nisi fuerit electus a conventu Glastoniæ. Tum cum archiepiscopis in regem conversus dixisset, « se beati Dunstanii nutriculam nolle minuere » illeque retulisset, C « nec se velle natrem Domini contristare, sed præcautione futurorum episcopum Wellensem debere in Glastoniæ capitulo rem diffinire, » resumpsit abbas sermonem, privilegia ecclesiæ sua authentica esse, nullam enjuslibet dignitatis personam causa judicii Glastoniam debere venire, sua ibi esse omnia, et in ecclesiasticis et in saecularibus rebus iudicia, facile fore ut invictus princeps et sanctus archiepiscopus in re nova constituenda perpetua pulsarentur invidia. Cæterum quod antecessores sui habuissent integrum, se, qui in defensanda dignitate Ecclesiæ eodem vigilaret spiritu, nequaquam omissurum. Quocirca episcopus Wellensis, si quid allegandum putaret, suo non regis vel archiepiscopi jussu, Glastoniam ventret. Quid plura, obtinuit causam abbas. Et quidam episcopus in capitulum venit, sed purgantibus se abbatibus victoria excidit, et inglorius discessit.

*De translatione sancti Benigni.*

Ad gloriam sane temporum Turstini pertinet beatissimi Benigni translatio, quam virtutibus non incelebrem alias stylus noster expedivit, duo pallia, duo thuribula, duo candelabra fecit.

*De discordiis inter Turstinum et suum conventum: et de cruce vulnerata.*

Ipsius autem tempore infortunium quoddam accidit, quod omnino silentio præterire ratio dissuadet, non ut acerbæ rei commemoratio videatur exprobatio, sed ut miraculum inde secutum deducatur

B in medium ad ædificationem audientium. Discordia enim zizania inter eumdem abbatem suumque conventum dispersa fuisse refertur, abbatisque negligentiæ imo imprudentiæ, impingitur causa dissidii, qui dum conventui multa de antiquis et approbatis consuetudinibus subtraheret, quædam etiam pro more suæ patriæ transmutarel, licet super his privatim frequenter requisitus publiceque fuisse redargutus; errata tamen corrigeret dissimulabat, præsumptamque nullatenus exuit pertinaciam. Inter cætera etiam Gregorianum cantum aspernatus monachos compellere coepit, ut illo relicto cujusdam Willielmi Fiscanensis cantum discerent et cantarent. Hoc ægre accipientes, quippe qui jam tam in hoc quam in alio ecclesiastico officio secundo Romanæ morem Ecclesiæ insenuerant, insuper mores ejusdem tanquam alienigenæ, nec de gremio ecclesiæ canonice instituti, molestius forsitan tolerabant. Cum igitur die quadam mente turbida capitulum egredieretur, ac monachos super his et aliis negotiis turbulentius alloqueretur, nec eos suæ voluntati posset inclinare, confessum ira cæcatus, milites ac satellites suos phaleratos fecit accersiri. Quo viso, monachi pavore vehementissimo correpti, in fugam, prout melius poterant versi sunt, ecclesiamque pro asylo subierunt, ejusdem ostia seris obstruentes; sed ministri Belial irrumpentes templum, absurdum perficiunt sceleris exemplum, monachos etiam usque ad altare fugientes, auxiliuque divinum lacrymis profusis postulantes, persecuti sunt; in eosdem arcu et sagittis jaculantes. Quidam etiam solaria inter columnas erecta scandebant, quo liberius innocuum sanguine animum satiarent malevolum; nec loci vel sanctorum potuit obsistere reverentia, donec uouum ex monachis sacrum amplexante altare lancea transfixum, alium ad altaris crepidinem sagittis confossum necassent, ac xiv de aliis graviter vulnerassent. Quapropter monachi tantæ necessitatis importunitate compulsi, demum sese, prout poterant, defensitabant, adversarios a choro propellentes: unus autem ex abbatis familia in sceleris cæteris pertinacior, certe quendam monachum crucem argento cooperiam manibus tenere, ut ei defensionis clypeum præstaret, animo deditiganti in eundem sagittam direxit, sed, providente Deo, sagitta imaginem Dominicam in cruce delixam subitus genua vulnerans, sanguinis rivulum ex eadem produxit, qui de altari usque ad gradus de gradibus usque ad terram descendens, ultionis divinæ terroris infastis viris ineutiebat. Illoc viso, sceleris hujus perpetrator sui confusionem non sufferens, continuo amens est effectus, et ecclesiæ limina egressus corruit et fracta cervice animam efflavit. Cæteri autem hoc intuentes, ne similia subirent supplicia, egredi monasterium festinabant, sed æquitatis divinæ virga eos pœnæ non sinebat eas expertes, quos in malignitatis perpetratione noverat exstitisse consortes. Quidam vero intra, quidam extra mentis corporisque impotes effecti, pœnas

non immeritas exsolvebant. Regi demum Willielmo primo querela super hoc delata, dum maxima fuisse patuit abbatis culpa, ab eodem rege in Normanniam ad monasterium unde venerat, redire compulsus est inglorius; de monachis vero quamplures per episcopatus et abbatias jussu regis custodiendi disperguntur. Rege tamen mortuo, idem Turstinus auxilio parentum suorum abbatiam Glastonice a filio suo Willielmo dicto Rufo quingentis libris argenti dicitur redemisse, et monasterium aliquot annis occupans, et per ejusdem possessiones pervagatus, longe ab ipso, ut dignus erat, misere vitam finivit. Cætera autem Turstini facta potius miremur, non istud carpamus, in quo magis casu impedit, quam industria peccavit, amulem in eo servorem religionis, nonnullam pietatem in Deo, multam providentiam in seculo. Crux autem superiorius memorata, ab antiquis temporibus argento vestita, pro tanto miraculo conventui venerabilis, populoque celebris habetur, vulnerisque vestigia intuentibus adhuc ostendit manifesta. Acta sunt hæc anno Domini 1081; hujus etiam rei testis est Orosius Anglorum historiographus.

*De Herlwino abate.*

Successit Herwinus anno Incarnationis 1101 aque ut Turstinus Cadomensis monachus, clementia et liberalitate justa insignis, quem Henricus primus, consenteente conventu, ibidem abbatem constituit, ubi et xix annis præfuit. Is in novitate adventus pro parcitate victus ignominiae in regno Angliae est notatus. Et revera strictius se agebat, quam amplitudinis fortunæ suæ intererat, non animi angustia, sed pro gentili more patriæ de qua venerat. Veruntamien, ut dixi, pudore infamiae respersus valvas curiae, quibus advenientium arcebatur aditus, a fundo eruit, ut patente noctibus perinde ut diebus accessu, nullus difficultatem causaretur ingressus. Et ut ostenderet quantum infamiam parcimoniae oderat, cunctos officiales convocans, hanc ab omnibus gratiam precario munere depoposcit, ut se in resumenda dapsilitatis fama juarent. Janitor, si queinquam excluderet, cum fortunarum dispendio præcisionem etiam auris comminatus. Eo factum est ut pro dapsilitate diceretur profanus, qui ante clamabatur astrictus; sit enim sere in rebus mortaliū, ut avarus nominetur, qui est providus, et qui est munificus, nuncupetur prodigus. Ecclesiam a prædecessore inchoatam, quia magnitudini possessionum suarum non respondebat, solo tenus eruit, et novam inchoavit, in qua ccccxxx libras dispendit. Imaginem et crucem lxx marcis comparavit pro teruis a tempore Normannorum creptis; cum mille marcas obtulisset regi, repulsam passas, ad Terentianum dictum verso animo, faciamus, inquit, quod possumus, si non possumus quod volunus. Itaque datus ceptum marcis argenti et duabus anri, in anteriorum suorum mutilationem resarcivit. Sex enim hidias in Pukelesci retrahens ad xl extendit libras, quod vix xvi ante valuerat; sexaginta marcis redemit

A terram, quam Gaufridus de magna villa tenebat in Viltone; terram de Cranemere recuperavit, amante rege Henrico, ut eam pro tribus hidis defensaret. Milne et Sim de manibus Hardigi Eadmothi filii, potentis tunc admodum et causidici extorsit. Ab Ulrico fratre Dunelmensis episcopi, quia parum succedebat sapientia secularis, ecclesiastica communione privato, Blakeford recepit. In Cumpston hidam, in Soei aliam ad Ecclesiam quasi postliminio redire fecit. Apud Wallas terram decem librarum acquisivit. Crucem opere mirabili et incomparabili fecit, pallia ix, cappas ix, tapetum 1, dorsalia v, albas iii, altare, quod, cum Joanni Cremensi ostensem, primo enoritate pretii ejus hebetasset animum, mox si Romæ haberetur centum marcas auri estimatum esset. Monachorum officinas ampliavit, clericos religionis votum parturientes gratis recepit, nullo scilicet prelio conversionem eorum, ut quidam faciunt, nundinatus. Pridie quam excederet, missam cantans, cordis contritione et lacrymarum fluvio se ipsum Deo victimam fecit, mox in capitulo cunctorum excessum in monachos indulgentiam petiit, et impetravit: accessisse se ad metam vitae, illis mirantibus, vaticinatus, sub ipso crepusculo de consilio medicorum pilulas sumpsit. Sed eis ante medium noctem in tormentum transeuntibus, a monachis accurrentibus sacro unguine delibatus, in meta noctis diem clausit, sepultus est juxta Turstimum ad Sanctum Andream.

*Conuetudines.*

Conuetudines observatae temporibus Turstini et Herlwini abbatum in privatis diebus, videbuntur Dominica, die Martis, die Jovis, ac Sabbato, tria generalia ad refactionem habuerunt fratres, et duas pitantias; ceteris vero tribus diebus, scilicet feria ii, feria, iii et vi, duo generalia et tres pitantias. In diebus autem solemnibus, quando fratres fuerunt in cappis, medonem habuerunt in justis, et similas super mensam, et vinum ad charitatem, et tria generalia, et quatuor vel quinque pitantias. In diebus vero, in quibus in albis fuerunt, medonem similiter in justis, et similas super mensas, et iii generalia, et tres vel quatuor pitantias. In præcipuis autem festivitatibus, id est Natali Domini, Pascha, Pentecoste, Assumptione et Nativitate sanctæ Mariæ, et Dedicatione Ecclesie, major fuit quantitas in omnibus secundum dignitatem festivitatum. In anniversariis vero regum, episcoporum, abbatum et ducum, qui Glastonice ecclesiam construxerunt, debent fratres per singula altaria pro eorum animabus missas celebrare, et maxime in communione honorifice coram positis ornamentis, quæ huic ecclesie dederunt. — Interim pauperes viii pro eis reficiantur, et postea in refectorio debent serviri, sicut in festivitatibus. De vestitu corum ista est consuetudo, unusquisque fratrum duas cucullas, et duos frocos, et duo stamina, et dua femoralia babere debet et quatuor caligas, et pelliciam portare per singulos annos. Et in cena Domini unusquisque

diurnales sotulares, et in bieme nocturnales, et duo coepertoria ad lectum, pedules vero decem, scilicet ad festivitatem Beati Sancti Martini 11, cæteras duas, quando eis expedierit, habeant. Et hæc est assisa quando pro cervisia vinum debent habere, unusquisque scilicet habere debet duas charitates in die, de minulis quare in texto.

*De Sigfrido abate.*

Successit Sigfridus monachus Sagiensis frater Radulsi archiepiscopi Cantuarie, anno Incarnationis Domini 1120. Similiter ab Henrico primo constitutus, qui et Glastoniam annis vi regebat. Is dedit pallium 1, casulam albam, et privilegium in hæc verba.

*Privilegium Calixti papæ.*

« CALIXTUS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo filio SIGFRIDO Pelochino, salutem et apostolicam benedictionem.

« Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotione celerem sortiatur effectum. Quamobrem nos, filii in Christo charissime, postulationis tuæ desideriis, benignius annuentes, beatae Dei genitricis et gloriose semper virginis Mariae monasterium, cui, annuente Deo, præsides, in Ecclesiae Romanæ tutelam, protectionemque suscipimus; et contra hominum perversorum molestias ejus privilegio confovemus. Per præsentis enim decreti paginam auctoritatemque statuimus, ut quæcumque ab apostolicis, archiepiscopis, regibus et principibus, aliquis fidelibus, nostro monasterio largitione legitima collata sunt, quieta ei et integra conserventur. Quæcumque præterea futuris temporibus juste canoniceque acquirere, Domino largiente, poteritis, firma tibi successoribusque tuis et illibata permaneant.

« Deceruimus ergo, ut nulli omnino hominum li-

A ceat idem monasterium penitus perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel minuere, vel temerariis vexationibus fatigare. Sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et conservatione collata sunt, modis omnibus, usibus profutura: Si qua antem ecclesiastica sæcularisve persona, in futurum hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertioe commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore Dei et Domini nostri Jesu Christi. Quatenus et hi fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicium premia æternæ retributionis inveniant.

B « Data Lateranis per manum Annerici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis et cancellarii, Idibus Maii, inductione 1, Incarnationis Domini 1123, pontificatus domini Calixti secundi papæ V. »

*De Henrico Blesensi abate Glastoniæ.*

C Sigfridus Cicestrensis episcopus factus, habuit in Glastonia successorem anno 1126 Henricum fratrem Theobaldi, Blesensis comitis nepotem, Henrici regis ex sorore Adela, qui etiam episcopus Wintoniensis non multo post factus est, vir preter natalium splendorem peritiae litterarum insignis, affabilitate verborum comis, animi benignitate liberalis, cuius principia et processus, quanto vobis emolumento fuerint, et per hoc quanto favore in os hominum venerit, nostis, de quo plura nec me dicere, nec vos tederet audire, nisi concilium esset pascere admirabili ejus verecundiæ, habet enim hoc proprium, ut quanquam laudanda faciat, laudari tamen erubescat.

## WILLELMI MAMESBURIENSIS

### LIBRI TRES

### DE VITA S. WULSTANI

EPISCOPI WIGORNIENSIS.

(II. WUARTON, *Anglia sacra*, Londini 1691, fol., tom. II, col. 241.)

### MONITUM.

Vitam Wolstani episcopi Wigorniensis ex codice Cottoniano antiquo *Claudius A. 5* descripsi. Pretullit iste manu nupera ascriptum Senati Bravonii nomen. Senatus prioratum Wigornensem ab anno 1189, ad 1196 administravit. Hunc Wolstani Vitam litteris consignasse refert Baleus, qui ab antiquo urbis Wigornie nomine Bravonii cognomen eidem dedit. Illam autem, quam evulgamus, Wolstani Vitam non Senatus, sed Willelmus quidam scripsit, a monachis Wigorniensibus rogatus, ipse tamen alieni cœnobii monachus, quod ex epistola muncupatoria et prologo clarissime constat. Hunc non alium ab eximio hujus sæculi historico Willelmo Malinesburiensi fuisse patet ex libro 1, cap. 12; clarius autem ex libro in,